PRINCIPIA PHILOSOPHICA THEOLOGIÆ, ATQUE RELIGIONIS NATURALIS,

SEU

PHILOSOPHIA RATIONALIS

DE DEO PRIMA CAUSSA RERUM, ANIMA HUMANA, RERUM INTELLIGIBILIUM NOTIONIBUS, DE PRIMITIVIS RERUM LEGIBUS PHYSICIS, ATQUE MORALIBUS,

METAPHYSICA

Vulgo nuncupata, & secundum Eclecticæ Philosophiæ regulas pertractata.

AUCTORE

IGNATIO MONTEIRO.

PARS SECUNDA.

EDITIO SECUNDA VENETA AB AUCTORE CORRECTA, NOVIS ADDITIONIBUS AUCTA, ET ILLUSTRATA.

VENETIIS MDCCLXXVIII.

TYPIS ANTONII ZATTA

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIIS

PARS SECUNDA

De Mente Humana.

LECTIO PRIMA.

Existentia Mentis humanæ, ejus natura, origo, creatio, distinctio a corpore, & omnibus qualitatibus, seu modificationibus corporeis.

490. ANima humana, quod alterum est Metaphysicæ nostræ argumentum in secunda hac ejusdem scientiæ parte pro viribus est definienda statuenda; demonstranda: &, quantum per humanæ ipsius mentis imbecillitatem, atque præsentis status conditionem licet, nobismetipsi ediscendi, atque explicandi sumus. Nobismetipsos, inquam, seu nobilissimam hanc naturæ nostræ partem, humanum spiritum ex ipsius ideis, atque actionibus, ex iis, quæ cogitamus, atque agimus, enucleare conabimur. Hæc vero nostrarum idearum, atque actionum analysis ad illas tandem veritates de mente nostra detegendas mentem ipsam manuducet, quas apprime scire nostra maxime interest. Homines enimvero in primis tangit, exploratum illud habere, quid, unde, & a quo simus; quonam tendamus; quæ tandem nos maneat sors, non ignorare. De summa rerum agitur, aliena negotia non curamus, nosmetipsi in scænam producimur, philosophicæ litis argumentum. Non innoxie hic errare mens humana potest: in extrema omnia discrimina, atque infelicitatem errando deducimur. Materialem te esse machinam, Pantheismi affectionem, aut Dei ipsius particulam, si temere credas; actum est de te ipso. Maximos nihilominus errores hic ab hominibus committi, dicenda statim demonstrabunt. Ut ab iis caveamus, nostrarum solummodo idearum evidentia & lumine, tanquam facula in mediis tenebris accensa ducamur. Id vero peragemus si profunda, diuturnaque meditatione nos-

metipſos, ideam, menteınque noſtram inſpiciamus, & in intimum noſtrum ſpiritum rimemur.

DEFINITIO.

Mentis humanæ nomine vim illam intelligendi ſeu cogitandi, quæ in nobis eſt, ſignificamus. Quoniam vero rem quacumque cogitantem non modo eſſe ab omni quocumque modo diſtinctam, ſed inſuper eſſe ſubſtantiam ab omni materia diverſam, ſtatim probabimus; hinc humanam mentem peculiarem eſſe ſubſtantiam, & præcipuam hominis partem, rem ſtatim probaturi, in antecesſum definimus. *Anima humana* illud eſt intimum principium, quo homines vivimus cogitamus, volumus, agimus. Cum unum, idemque ſit activum principium, a quo hæc omnia peraguntur; idem etiam in ſe ſunt mens humana, atque ſpiritus, ſeu anima humana. Hic vero eſt rigoroſus ille ſenſus, metaphyſicæ proprius, quo mentem, & animam humanam accipimus, atque in ſequentibus ſemper intelligemus. Alia tamen iiſdem vocabulis in artibus, & communi ſæpe loquendi modo ſignificari non ignoramus; quæ ad præſens inſtitutum non faciunt.

492. Philoſophi, cum tria potiſſimum in humano ſpiritu munera, ſeu actionum genera animadvertant, *cogitare*, *velle*, *recordari*, ſeu *intellectum*, *voluntatem*, *memoriam*, quantumvis hæc neque inter ſe, neque ab anima diſtinguantur; ut diſtinctas tamen potentias nuncupant. Nominis definitionem dedimus: quid res ipſa ſit, quantum per humanam tenuitatem, & præſentis vitæ conditionem licet, in ſequentibus dicemus.

493. Aliæ ſunt cum nominum, tum rerum definitiones ad ſecundam metaphyſicæ partem ſpectantes, quas cum opus fuerit, afferemus. Interim id obiter animadvertimus, inter alios animæ noſtræ actus, aut munera internum ſenſum, imaginationem, phantaſiam, memoriam, externos ſenſus, & ſimilia alia numerari: quæ omnia in Phyſica viventium expoſita habes. Rurſus ad animam ipſam illa omnia ſpectant, ideæ, judicia, ratiocinationes, dubia, methodus, opinio, evidentia, demonſtratio, quæ in Logica fuſe proſequimur. Proprium illa ſunt Artis criticæ dirigendæ mentis argumentum: cujus tamen fundum explica-

re,

re, atque statuere, cogitantis metaphysici opus esse debet.

ADNOTATIO HISTORICA.

494. Plurima sunt, quæ de humana mente ignorare non licet. Ad nobiliorem hanc, & potissimam nostrimet esse partem non modo philosophi ad unum omnes, sed tota humana generatio animum semper, & mentis contentionem animadvertit. Nostrummet esse quæritur, disceptatur, nostrarum cogitantium argumentum existit. Quid rei sumus cogitantia entia? nosmetipsis quærimus: quidnam illud est in nobis cogitans, quod animam nuncupamus? Estne substantia, an potius substantiæ modus? materia, an altioris ordinis substantia, seu spiritus? Unde præterea, a quonam principio, & tempore sumus, quanam ratione conditi? Relata hæc capita humanæ menti cogitanti prima omnium obversantur, & philosophorum ingenium exercent: eadem nobis statuamus primæ lectionis argumentum. Plures alias paris momenti quæstiones, ut suus rebus ordo constet, in sequentes lectiones differamus. Quænam vero est, quænam hactenus fuit philosophantium de hisce rebus opinio? quinam communis sensus, qui vitandi errores?

495. Animam, seu mentem in nobis esse, qualecumque tandem illud sit, omnes fatebuntur, inquit Seneca (a), neque nisi per summam dementiam vocari in dubium posset. Si tamen, quid illa sit, ab antiquis potissimum quæras; mirum est quot deliria mentis subjungent. Dubiam penitus illam esse, atque ab omnibus ignorari affirmat Heraclitus (b), Tullius (c), Seneca (d): spiritualem esse substantiam Plato (e), incorpoream quamdam potentiam non satis nomine ἐντελέχεια expressam Aristoteles (f): peculiarem harmoniam Pythagoras, Philolaus, & alii res-

(*a*) Natural. quæst. l. 7. q. 24.
(*b*) Apud Laertium l. 9. segm. 7.
(*c*) Tusculan. quæst. l. 1. n. 18.
(*d*) Nat. quæst. l. 7. quæst. 24.
(*e*) *Macrob.* in somn. Scip. l. 1. cap. 14.
(*f*) Tullius loc. cit.

respondent (a): exiguam illam esse divinæ substantiæ particulam ab aliis affirmatur; id quod manifestum Pantheismum sapit (b), Non satis hæc: Anaximandri, Anaximenis, Archelai, aliorumque veterum opinione ab subtiliori aere humanus animus non distinguitur (c): cum puriori sanguine mentem confundunt Empedocles & Critias: cum igne, & siderea quadam substantia Zeno Stoicus, Hypparchus, Heraclitus (d). His tandem accessere Epicurus, Lucretius, Democritus, Xenophanes, Parmenides, & omnes alii materialistæ; quorum judicio mens, & cogitatio aliquid non est a materia, ab atomis subtilissimis, & materiæ modificationibus distinctum: atque hæc communis etiam est recentium materialistarum sententia (e), quorum præcipuos in prima parte retulimus. Veterum igitur philosophorum sententiis excussis, animam illi non corpus, neque spiritum, sed materiam quamdam subtilissimam esse communiter existimabant (f). Hæc etiamnum esse dicitur Orientalium aliquot opinio (g) Quænam sane humanæ mentis circa se ipsam deliria? Id vero in Hebræis, atque Christianis philosophis magis est mirandum, quos inter non defuerunt, qui animas nostras ex materiali substantia compositas dicerent (h), ut Calderin, Angelus Politianus, Pomponatius, Bembus, Cardanus, Cesalpinus, Taurell, Cremonin, Berigard, Viviani, Hobbes, & plures alii, quibus annumerari debent propagationis animarum assertores.

496. Inter Patres aliqui etiam fuere, ut Origenes apud Huetium (i), qui animam non materialem quidem

(a) *Macrobius* loc. cit.
(b) *Horat.* l. 2. satyr. 2.
(c) Apud Gassend. Phys. sect. 3. l. 3. cap. 1. & ap. Tul. loc. cit.
(d) *Seneca*, *Tullius*, *Macrobius* locis. cit.
(e) *Lucret.* l. 3. a versu 204.
(f) *Plutarchus* tom. 2. p. 898. traductionis.
(g) *Laloubere* voiage au roiaume de Siam to.1. p. 361.
(h) Vide *Philonem* de Gigantib. & lib. de Confus. ling. *Gassendum* Phys. sect. 3. lib. 3. cap. 2.
(i) *Origen.* quæst. lib. 2. q. 6. n. 13.

dem, sed ex natura sua cuidam corpori semper unitam autumarent. Sententiam quidem hisce temporibus a *Leibnitio* (a) Anglo auctore libri Essai de *Psichologie* (b) *Bonet* (c) & aliis renovatam. Secundum eos auctores animae humanae sedes non est visibile, & terrenum nostrum corpus, aut cerebrum, sed organicum aliud subtilissimum, & veluti spirituale germen in cerebro hospitans, cui animae semper sunt unitae. Illud germen, & spirituale corpus ab iis ponitur incorruptibile. Evolutio germinis nostri terreni corporis est generatio, destructio ipsius corporis, seu animae in spirituale germen involutio est mors: illius spiritualis germinis evolutio erit resurrectio in statum futurum. Haec & alia his affinia eorum auctorum sententiae sunt. Tertullianus etiam, Irenaeus, & aliquii alii mentem hamanam subtilissimam quamdam esse materiam ab omni terreno corpore distinctam existimarunt. Magnum inter eorum Patrum, & recentiorum libertinorum sententiam intercedit discrimen: illi scilicet non modo animam a corpore separari posse, atque existere, verum, etiam ex natura sua esse immortalem tenuere: optimi ergo catholici, licet aliquando in metaphysica laberentur ex adverso recentiores materialistae animam & corpoream, & mortalem, & ut corpus aliud solvendam propugnant.

497. Satis non est, animam a corpore distinctam ponere; fuere, qui illam Numinis partem, aut modificationem esse dicerent. Id enim dogma Pantheistici systematis consequentia est, quod ab antiquis praecogitatum, recenter a Spinosa renovatum, jam superius retulimus. In alia ulterius deliria circa nobilissimam hanc humanae naturae partem proplapsi homines sunt: quid absurditatis excogitabitur, quod suum inter Philosophos non habeat patronum? Mentes humanas universalia mundanae animae partes esse autumarunt alii, inter quos Pythagoras, & Phaerecides recensentur (d). Mundanae quidem animae universalis

(*a*) l'Esprit discours 1. chap. 4. Nouveaux Essais sur l'entundement humain.

(*b*) Londini editi an. 1755.

(*c*) Palingonesie Part. 6. & 8.

(*d*) Apud *Tullium* loc. cit.

lis dogma, Pantheiſmo non penitus diſſimile, auctores habuit græcos, in primis vero Platonem in Timæo, quem præter antiquos ſecuti poſtea fuerunt Eugubinus, Galante, Panſa, Mornay: eoque devenit Thomaſius, ut hujuſmodi animam Spiritum Sanctum eſſe diceret (a). Eandem etiam univerſalem mundi animam tenaciſſime tenuit hiſce noſtris temporibusHartſoeker, quam dicit eſſe ſubſtantiam fluidam, cogitantem; cujus partes noſtras hominum animas eſſe propugnat. Eidem præterea mundanæ animæ plantarum omnium; atque animalium formationem, & modificationes tribuit. Duplicem igitur illum errorem, univerſalem mundi animam, atque materiam cogitantem admiſit (b). Circa ſecundum ignota nemini eſt Joannis Lockii dubitatio, demonſtrari ſcilicet ab humana ratione forſitan non poſſe, quod materia cogitare nequeat (c), quam alibi retulimus. Eundem Lockii ſenſum Neutono tribuit Voltaire (d). In Lockium poſt plures alios ſcripſit De Breux (e): ſed longius quam Locke, rem eamdem promovit auctor libri Hiſtoire de l'ame, qui hominum animas materiales eſſe aperte ſtatuit, idque a dependentia illa probat, quam a corpore animæ actiones habent. Quid ego de Joanne Lockio ſentiam, jam ſupra indicavi, & infra iterum exponam.

498. Circa animarum originem, famoſam aliam ejuſdem argumenti quæſtionem, fuiſſe illas ante mundum, & corpora a Deo creatas, tenuit in primis Plato (f), Socrates (g), Pythagoras (h), Origenes (i), id inſuper addens, animas ob ſcelera priori illo ſtatu patrata in corpora fuiſſe detruſas. Divus Auguſtinus eam de animarum ante corpora productio-

---

(a) *Thomaſius* diſſert. var. arg. diſſert. 32.
(b) *Hartſoek*. Cours de phyſ. lib. 1. cap. 1. articul. 9. lettre à M. *le Clerc*.
(c) Eſſais lib. 4. chap. 3.
(d) *Voltaire* Metaph. de M. Nevvton. chap. 6.
(e) *Des Breux* lettre 16. Pariſiis 1753.
(f) *Plato* de legib. l. 10.
(g) Apud *Platonem* in Phædro.
(h) Apud *Brucher*. tom. 1. part. 2. libro 2. cap. 2.
(i) Princip. l. 1. cap. 7. ſequentib.

ctione, & existentia opinionem aut tenuit, aut non rejecit; illa enim exposita ita concludit, credatur ergo, si tamen nulla scripturarum auctoritas, seu veritatis ratio contradicit (a). Plures alii pro eadem sententia adducuntur ab Henrico Moro, ejusdem opinamenti patrono (b), Allatio (c), & aliis. Leibnitius involutorum systematis propugnator, eamdem & corporibus, & animabus originem tribuit, utraque scilicet in principio mundi creata fuisse ponit (d): quare secundum Leibnitium omnes animæ, perinde ut corpora, in primævæ parentis ovario extitere, non quidem ut rationales, inquit, sed ut animales. (e) Hic sane Leibnitii sensus in errorem illum a sana philosophia rejiciendum, animarum propagationem ex traduce nos manuducit. Uberrima habes humanæ imbecillitatis argumenta. Quid tenendum nobis sit, sequentia aperient.

PROPOSITIO I.

499. *Est in hominibus res cogitans, quam mentem, seu animam humanam nuncupamus.*

Prima hæc propositio probatione non indiget, nisi cum pyrrhonicis philosophis ageremus, quibus de omni re, ut jactant, dubitantibus omnia sunt demonstranda. Cum hujusmodi hominibus res nobis fuit in Logica. Iis prætermissis, propositionis veritas sensu & conscientia, duplici illo veritatis criterio in logicis fuse demonstrato conficitur; quorum secundum in nulla vera hypothesi, primum in præsenti rerum ordine non potest fallere. Ipsemet sensus, atque conscientia est cogitare: opusque esset omnem nostrum sensum, atque conscientiam negare, ut cogitantes nos esse dubitaremus: quod ne ii quidem efficere possunt, qui se de

(a) *Augustinus* de Gen. ad litter. 1. lib. 7. cap. 24.
(b) Apud *Sturmium* Enchyridion metaphys.
(c) *Morus* præfat. ad opera phil. §. 18. *Allatius* in notis ad Method. Simposf.
(d) Theod. P. 1. n. 86. P. 4. n. 397.
(e) Lettre de M.r Leibinits a M.r des Maiseaux.

de omnibus dubitare parum ſincere affirmant. Unum hic nobis poſſet a materialiſtis opponi, id unum nos a conſcientia edoceri, eſſe in nobis cogitationem; id tamen *rem* eſſe, non rei modum, citra fundamentum aſſeri: humanas ſcilicet cogitationes ii etiam non inficiantur; eas tamen non *rem* aliquam, ſed rei, hoc eſt, materiæ modum eſſe contendunt. Reſp. Quocumque modo ſtatuatur cogitatio, impoſſibile prorſus eſt, eſſe cogitationem, quin ſit etiam res cogitans. Eſto, ſit cogitatio, atque dicatur modus: erit tamen rei alicujus modus: illud ergo, quodcumque tandem ſit, cujus modus eſt cogitatio, eſt res ſuo illo modo cogitans. Quare ſi cogitatio poſſet tenuiſſimæ alicujus materiæ modus, peculiaris ex. gr. motus, aut figura exiſtere; materia res illa eſſet ſuarum particularum motu, atque figura cogitans: quod unum intendit materialiſta, & in ſequenti propoſitione examinabitur. Uno verbo, exiſtentia animæ ex paucis hiſce capitibus demonſtratur: *primo* ex intima uniuſcujuſque noſtrum conſcientia, & conſcientiæ evidentia: *ſecundo* ex Carteſiano illo principio, *ego cogito: ergo exiſto:* cujus antecedens *cogito*, conſcientia; conſequentia vero, *ergo exiſto*, evidenti connexione deducitur: *Tertio*, quia nihili nullæ ſunt proprietates, nulli effectus: at cogito, cogitare, velle, nolle ſunt aliquid phyſicum: eſt igitur in me phyſicum cogitandi principium, quod animam nuncupamus. *Quarto*, quid quid in contrarium una cum pyrrhonico philoſopho adnitar: etſi rationes undique ad dubitandum, & mei cogitantis animam negandum corradam; ad meæ nihilominus cogitantis exiſtentiæ aſſenſum rapior, atque inviƈtiſſime trahor. Hæc ſane illa ſunt maxima veritatis criteria, quæ, ut in logica late proſequimur, nos in errorem nunquam deducunt.

PROPOSITIO II.

500. *Anima humana eſt ſubſtantia ſpiritualis ab omni materia, ſeu corpore diſtincta.*

Circa ſpirituum exiſtentiam generatim, nominatim vero circa humanæ animæ conditionem, & naturam duplex primo eſt, ut dixi, philoſophorum ſenſus. Ex una

una parte materialistæ & animam spiritualem, & universos spiritus inficiantur. Hunc errorem pluribus demonstrationibus in prima parte profligavimus; materiam non cogitare, ens necessarium ab omni materia esse distinctum, sola ratione confecimus. A materialistis longissime distant relati superius Patres, & philosophi, quorum judicio Deus quidem est spiritus, aliæque etiam spirituales substantiæ creatæ existunt; anima tamen humana materia subtilissima esse dicitur. Eorum igitur sensus, quod animam spectat, nostra hac propositione confutatur. Ex alia parte cæteri omnes philosophi non modo materialistis, sed relatæ etiam aliorum circa animam humanam opinioni oppositi, & Deum, & plures substantias creatas, & animas humanas spiritus esse propugnant ab omni materia, & modo corporum, atque materiæ distinctos. Sed ipsi præterea in duas iterum dividuntur classes: maxima quidem pars animam esse spiritum, ratione demonstrari contendunt: pauci aliqui ex opposito de re quidem conveniunt, circa probationes diffident. Animas humanas esse substantias spirituales tenent; id tamen non ratione, sed tantum auctoritate constare existimant. Hice postremi aut materiam cogitare posse admittunt, aut de re hujusmodi dubitant, & propositionem, *omne cogitans est spiritus*, claram non vident. Fide igitur catholicum tenent dogma, neque citra calumniam insimulari possent: sola tamen ratione agendo, atque pure philosophando materialistarum argumentis videntur succumbere.

501. Secundam hanc sententiam tenent *Ioannes Locke*, *Samuel Clark*, *Sherlok*, (*), & omnes illi, qui

(*) Plurimi sunt, qui *Joannem Locke*, de materia cogitantem dubitantem male carpunt, ut religionis hostem, & materialistam proscindunt, aliosque cum *Lockio* sentientes iisdem laudibus honorant. Hi tamen omnes (sit eorum pace dictum), & contra criticæ artis, & contra christianæ charitatis; justitiæ, & modestiæ regulas peccant. Quid, si a *Lockio* hisce sciptoribus modeste reponatur, animas humanas spiritus esse teneo; id tamen fide potius credo, & probo, quam ratione demonstrari posse existimem. Evidens mihi sola ratione non est hæc propositio, *quid quid*

qui religionem naturalem sola ratione naturali demonstrari non posse autumant. Non in religionem, sed in rationem gravissime peccant citati auctores; & gravissimo præterea philosophiæ argumento, & demonstratione contra materialistas sese exarmant.

502. Propositio nostra est purum duplicis hujusce veritatis a nobis demonstratæ corollarium, atque consequentia, *quidquid cogitat, non est materia, corpus, aut modus materialis: est proculdubio in nobis anima, seu res cogitans:* Si hæc duo sunt certa; certum pariter est, animam nostram non esse materiam. Jam vero primum late in priori parte demonstravimus: lectorem ad locum citatum remittimus; ne quæstionem fuse jam tractatam iterum expendamus. Præter demonstrationes illic adductas hæc ulterius superaddam. 1. Omne cogitans liberum, caussa quæcumque libere eligens non est materia: eam sane libertatem in nostra hominum cogitante anima agnoscimus.

503. Huic argumento fusius infra explicando, cum de humana libertate sermo fuerit, cessit randem *Joan. Jac. Rousseau*, quem materialistæ, & liberrini cæteri magni faciunt (*a*). Qui tamen libertatem negant, inquis, hoc est, fatalistæ omnes, materialistæ &c. deductum inde argumentum irrident. At cum iis nos inferius agemus, & libertatem nostram demonstrabimus: interim satis illud sit, quod si humana anima libera esse dicatur; ipsamet adversariorum confessione spiritus etiam asseratur, oporteat. Materia necessario agit, nullius libere actionis capax existit. Simulac igitur libertas demonstretur, acta res erit: fidem nostram inferius liberabimus. 2. A numero partium, & divisibilitate materiæ argumentum aliud desumitur, omne

---

quid cogitat est spiritus: eam tamen licet ratione non videam, fide vero & Deum, & Angelos, & animas nostras existere, substantias esse spirituales, constantissime teneo, aliisque ex capitibus demonstro. Aliud homini ita modeste loquenti opponi non posset, quam Christianum Catholicum bene agis; philosophice tamen laberis. Mea quidem propositio, & mens sententiæ *Lockii* penitus opponitur: absit tamen, ut hominem ego calumnier.

(*a*) *Rousseau* l' Emile. T. 3.

omne cogitans est unum, atque indivisibile; concipi ne possunt partes aliquæ in idea? ut ideam nos in frusta secare posse concipimus? aut quamcumque materiæ partem assumas, quam cogitare affirmes, illa proculdubio non est unum aliquid simplex sed in minores & minores dividi potest partes: eaque propter cogitans esse non potest. Hoc argumentum ab omnibus metaphysicis adhibetur: magni illud facit *Petrus Bayle* late omni ex parte versat, & contra *Leucippum* tabellæ, atque geographicæ chartæ exemplo illustrat: cujus quidem pars nonnisi unam objecti partem repræsentare potest (*a*). Philosophicam ego sinceritatem, & characterem proderem, si veritatem, si meum etiam sensum dissimularem, & candide non profiterer. Qualecumque sit hujusce argumenti pondus; eos tantum premit, qui omnem materiam ponunt divisibilem, aut animam in subtilissimarum partium aggregato, motu, figura constituunt: qui tamen omnem materiam monades esse existimant, aut atomos saltem admittunt, quas præterea, licet simplices, extensione donant, & locum divisibilem occupare statuunt, adducto argumento non premuntur. Pone Leibnitianum aliquem materialistam, qui animam materialem monadem intelligentem, atque extensione præditam affirmet: cogita etiam ab Epicureo Atomista tibi ita reponi: anima quidem est simplicissima, & una; est tamen materia, seu atomus simplex datum occupans locum, quem ab indivisibili atomo posse occupari, quamplurimi vestrum tenent. In hominem ita respondentem alia quærenda sunt argumenta.

504. 3. Probatur propositio ab idea materiæ, ab idea cogitationis, atque ab eorum analysi, quæ in anima nostra cogitante, atque in idea materiæ manifeste apparent. Hoc argumentum late superius versatum ulterius promovere superflueret. 4. Conscientia, experientia, sensus communis nos omnes docet, animam nostram esse vim activam, energiam, vim agendi contraria omnia in corporum, & materiæ idea manifeste apparent, impenetrabilitas, extensio, figura, motus, inertia harum omnium rerum ideæ ab idea cogitationis toto cælo distant.

505. 5.

(*a*) *Bayle* dict. Critiq. historiq. Art. Leucippe. Rem. E.

505. 5. Si anima nostra esset materia, atque proinde materia cogitaret; vel cogitaret mota, aut quiescens, hac vel illa figura, atque subtilitate donata. Anima cogitans, inquiunt, est complexio quædam subtilissimatum particularum, quæ delicatissimæ sunt, & mole subtilissimæ, & maxime inter se agitantur. Verum in hac partium complexione nihil vi seo præter motum, figuram, molem, velocitatem, directionem, occursus, incursus, & cæteras motuum modificationes. Si ita res esset; duo inde consequerentur absurda: *primum*, omnem materiam esse cogitantem, seu posse cogitare; cum prædictarum omnium modificationum omnis materia existat capax, in quibus secundum materialistas omnis cogitatio consistit. Quamcumque materiam tibi cogitando fingas, ea sane poterit in subtilissimas partes dividi, quacumque figura donari, quocumque modo, atque directione moveri. *Secundum*, cogitationem, ideas rerum, ratiocinationes, Epicum Virgilii Poema, Tullii Catilinarias, conciones Patris Bourdalue nihil aliud esse, præter motum, figuram, subtilitatem partium materiæ. Enim vero in relata particularum complexione illæ tantum materiæ modificationes visuntur, aliud ex earum positione, & combinatione non provenit. Græco sane, & Latino hominibus adstantibus vocem *Deus* proferamus: eodem plane modo a proferentis ore aer aures omnia aurium organa nervi spiritus in utriusque hominis cerebro excitantur, atque modificantur. Datæ figuræ, atque subtilitatis particulæ ad datum modum, & velocitatem cum in latino, tum in græco homine ab eadem caussa, iisdem in circumstantiis, eodemque modo agente excitabuntur. Physica hæc enimvero sunt, mechanica, necessaria. Si hujusmodi mechanismus esset cogitatio; eadem idea in utriusque audientis cerebro eliceretur: eodem tamen mechanismo posito, Dei ideam, voce audita, concipit Latinus, nihil tale concipit græcus: cogitare ergo, mente concipere, idea rerum non est ille materialium particularum mechanismus: sed aliquid ab hujusmodi mechanismo plane diversum. Idem in omnibus aliorum sensuum functionibus visitur: oculos duo quidam homines sæpe habent apertos, in idem objectum eadem ex parte, atque distantia obversos, & intentos: unus tamen videt, objecti ideam elicit, objectum cogitat,

sibi

sibi repræsentat; dum interim secundus, mente alio distracta, opposita omnia cogitat. Idem plane mechanismus in utriusque hominis oculis, retina, nervis opticis, cerebro peragitur: eo mechanismo in distractæ mentis homine posito, illic tamen non est oppositi objecti visio, neque objectum animadvertit. Est ne igitur prædictus ille mechanismus cogitare? Atque pauca hæc superius dictis addidisse satis: potissima enim propositionis argumenta in citato loco adduximus.

506. Opponunt tamen cum materialistæ, tum ii etiam auctores, qui animam nostram spiritum esse credunt, id tamen non ratione, sed sola fide constare tenent. Intima materiæ natura, vis, proprietates nos latent; licet illam esse rem extensam, impenetrabilem, mobilem agnoscamus: quid igitur illam cogitare posse negamus? Id enimvero esset de re ignota aliquid diserte pronuntiare, affirmare, aut negare: quod homini cogitanti non licet. Si quid sit materia, ignoro; quid illam cogitantem esse non posse pronuntio? (*a*). 2. Argumenta, quibus materiam cogitare non posse probamus, huic principio innituntur, quod materia ex se sit iners, & activitatem non habeat: de principio tamen lis movetur; illud ponitis, illud negamus, probate. Affirmari citra hæsitationem non potest, materiam esse inertem. Si non sit iners; amplius illam cogitare non posse, non probabitur: unde enimvero habemus, materiam nihil aliud esse, præter inertem extensionem impenetrabilem; dum ejus naturam ignoramus? Animam igitur humanam spiritum esse teneamus: id tamen non ratione, sed sola fide tenendum fateamur. 3. Divinæ omnipotentiæ injurii sumus, dum ab omnipotenti Deo fieri non posse pronunciamus, ut materia cogitet, cogitatio ponatur in materia. Potissima hæc sunt capita, quæ a *Joanne Locke*, & recentioribus aliquibus materialismo non infectis, rationi tamen diffidentibus opponuntur.

507. Respondeo *ad primum*: si valeret argumentum; pari ratione concludendum esset, materiam esse Deum, Angelos, universa, aquam verbi gra-

tia

(*a*) Ita argumentatur *Locke*. Essais de l' entendement lib. 4.

tia esse ignem, terram esse lucem, & mille id genus alia, quæ ne rigidi quidem materialistæ admittent. Suum igitur eorum argumentum solvant, & nihil ex illo probari, fateantur oportet. Si intimam aquæ, terræ, ignis, materiæ naturam ignoramus; cur materiam non esse spiritum æternum, aquam non esse ignem pronuntiamus? id scilicet est de re ignota ignotam aliam affirmare, aut negare, quod prudentis rationis dictamini opponitur. Istane vero probabit *Lockius*? Directe respondeo, intimam a me & materiæ, & spiritus naturam ignorari; plurima tamen utriusque attributa, & proprietates ratione, sensu, conscientia mihi esse notissimas; earum a me ideas, atque idearum oppositionem evidenter inspici. Jam vero illa, quorum notiones, & indubiæ proprietates evidentem inter se habent oppositionem mutuam, sunt proculdubio distincta: aut nullum est in humana mente veritatis criterium in absurdissimum incidimus Pyrrhonismum, & a Deo tandem falleremur: posteriora hæc duo latissime in logicis versamur; atque prosequimur. Neque vero Deus nos fallit; neque aliquis stare potest pyrrhonismus, neque mens humana criterio destituitur, aut idearum claritas cum falsitate conjungitur. Evidentia oppositionis idearum, atque notionum potissimum distinctionis rerum argumentum, atque criterium existit. Quænam illæ sint materiæ, & rei cogitantis proprietates, inter quas manifestam deprehendamus oppositionem, ex præsenti propositione, ex illa vero potissimum, qua *rem cogitantem non posse esse materiam*, superius demonstravimus, luculenter constat. Ad pauca verba tota responsio redigitur: illa, quorum attributa certa manifestam habent oppositionem, sunt proculdubio distincta, quantumvis intimam eorum naturam ignoremus: hujusmodi est propositionis casus. Neque id amplius esset de re ignota ignotum pronunciare: quin sciam quid res sit, quid ipsa non sit, sæpissime novimus: tum vero de re, quam, quid sit, ignoro, plurima recte nego, quæ rem illam non esse agnosco. De adamante ne, cujus naturam ignoras, pommum esse, inficiari cunctaberis?

508. *Ad Secundum*: Duo mihi evidentia sunt: primum, quod idea rei impenetrabilis extensæ sit idea materiæ, quin ullam illi activitatis ideam adjungas.

Quid

Quid enim extensio impenetrabilis? Materiam igitur mente concipere possumus, nihil interim de activa aliqua efficacia cogitando: aut enim illa idea est idea nihili, aut est idea materiæ: quæ propterea ex notione sua nullam habet activitatem: non igitur immerito principium illud ponitur, Adversariis potius probare incumbit, vim aliquam activam ad materiæ notionem spectare: rem scilicet materiæ ideæ adjungitis, quæ communi sensui opponitur. Secundo: Utcumque tamen vis aliqua physica activa in materiæ notione comprehendi daretur, certa sunt hæc duo, maximam nostrarum demonstrationum partem ex positione illa nequaquam deduci: rem examine facto edoceberis: & hoc primum. Deinde hoc unum contendimus, neque solum ponimus, sed probamus, materiæ, utcumque illa activa esse possit aut statuatur, eam sane energiam convenire non posse, quæ sit cogitatio, aut cogitandi facultas. Non citra fundamentum hoc ponimus, sed ex idea attributis materiæ, ex idea atque attributis cogitationis evidenter deducimus. Hæc omnia ex adductis demonstrationibus constant.

509. *Ad tertium*. Injurius Deo omnipotenti non est, qui idearum claritate ductus id pronuntiat impossibile, inter cujus ideas clarissima visitur repugnantia: data hæc nobis a Deo est judicandi ratio, regula, criterium: secundum illam judicium de rebus ferre per acceptam a Deo indolem debemus: cum una illa sit inveniendæ, & statuendæ veritatis ratio. Nulla autem veritatis assertio omnipotenti Deo, omnium veritatum fonti injuria esse potest. Injurii potius Dei omnipotentiæ essemus, si contra idearum claritatem possibilia Deo diceremus, quæ manifesta ratio, impossibilia demonstraret. Nisi hæc ita sint; injurius Deo omnipotenti existeret, qui sphæram quadratam a Deo fieri non posse contendat. Uno verbo, nullus mortalium est, qui quamplurima sibi mente proposita impossibilia sæpe non pronuntiet, & demonstret: neque tamen *Lockius* aut alius quicumque philosophus ea ratione philosophando injurium se Deo esse, ne minimum quidem suspicatur.

510. Opponi ulterius posset: utcumque rem statuamus, allatæne ad propositionem, *nullum cogitans est materia*, evincendam demonstrationes geometrica theo-

remata claritate adæquant; an istis potius non parum concedunt? Nulla unquam fuit mens humana, quæ de *Euclidis* theoremate dubitaret: quanti vero ex adverso allatis demonstrationibus diffidunt? Respondeo. Esse etiam, qui geometriæ certitudinem inficientur, pyrrhonicos, & *Huetium*; quin tamen geometricarum demonstrationum evidentiæ officiat, quod ii philosophi omnia in dubium vertant, nihil in rebus, ne geometriam quidem certam esse, admittant. Aliquidne ob hujusmodi pyrrhonismum de firmissima illa adhæsione decedit, qua omnes sani geometricas demonstrationes certissimas esse fatentur? Res perinde se habet in nostro casu: etsi unus, aut alter inveniatur, qui de allatis superius demonstrationibus dubitet, aut dubitare sese affirmet; nihil hoc de rei ipsius merito detrahit. Unum hoc intercedit discrimen, quod geometricarum demonstrationum objecta, quantitas nimirum, seu extensio in longum, latum, & profundum, non modo ratione, sed etiam imaginatione percipiatur. Numeros, partes materiales, totum corporeum, lineas, superficies, corpora & intelligentia percipimus, & imaginando comprehendimus. Vehementius sane in nos agit imaginatio & sensus, quam pura ratio. Sola autem hac postrema spiritum, veritates metaphysicas cogitationem cupimus, attingimus, complectimur: quamtumvis igitur tenacius geometricis, quam metaphysicis veritatibus adhæreamus; non id metaphysicarum demonstrationum evidentiam infringit, sed imaginationi sensuumque indoli tribuendum.

511. Opponi hic etiam a materialistis solent carmina, & sensus Lucretii, qui inter latinos materialistarum patriarcha existit. Anima, inquit Lucretius, ex quatuor substantiis conflatur, aura tenui, vapore calido, aere, & materia alia innominata: atque hæc postrema una illa est, quæ cogitet: aliæ omnes fundum quidem animæ componunt, non tamen cogitant.

Nec tamen hæc simplex nobis natura putanda est.
Tenuis enim quædam moribundos deserit aura,
Mixta vapore, vapor vero trahit aera secum,
Nec calor est quisquam, cui non sit mixtus & aer.
Jam triplex animi est igitur natura reperta.
Nec tamen hæc satis sunt ad sensum cuncta creandum.
Nil horum quoniam recipit mens posse creare.

Res-

Respondeo. Poetica hæc figmenta hac una voce difflantur, *proba*. Rem dicere poetis facile est: probare ad eorum provinciam, & munus non spectat. Opposita omnia supetius demonstravimus: allatas demonstrationes nulla poetarum carmina convellunt. Ex quatuor materiis una sola cogitat: Unde hoc? an similiter aliæ etiam non cogitant? Ex subtilitate, figura, motu id omne discrimen provenire dicunt: Bene est: omnes igitur aliæ materiæ possunt cogitare, suntque entia cogitantia: ad certam enim illam figuram, tenuitatem, motum reduci possunt.

PROPOSITIO III.

312. *Mens humana est etiam ab omni quocumque materiæ, seu corporis cujuscumque modo distincta.*

Hæc propositio est superioris propositionis corollarium, iisdemque argumentis constat. Rem enimvero cogitantem clare concipio, quin vel materiam cogitem, vel aliquem materiæ modum considerem: claraque idea, & notio rei cogitantis a nullâ modorum materiæ idea dependet: ex quo patet animam nostram, seu rem quamcumque cogitantem non esse modum, sed substantiam ab omni subjecto distinctam. 2. Si anima humana, aut res cogitans esset materiæ modus; concipi illa citra materiam non posset, perinde ut neque figuram, neque motum, aut magnitudinem sine materia non intelligimus. Quis vero nostrum est, qui mentem, animam, cogitationem sine materia non concipiat. 3. Materia non potest esse res cogitans; id quod fuse in prima parte & ulterius in exposita modo propositione confirmavimus. Si anima nostra, seu res cogitans posset esse materiæ modus; materia per suum modum esset cogitans, seu cogitaret; sicut per suum motum, & vim movetur; per suam figuram terminatur. 4. Cogitare est agere: solius autem substantiæ, non modi, est agere.

Simili ratione demonstratur, cogitationem modum materiæ esse non posse. Eo enim semper deveniremus, quod materia cogitaret: si etenim esset modus; esset cogitatio materiæ. Aliquid præterea est quod cogitat: quid vero id tandem esset? non modus, ut de-

demonstravimus: ergo materia, si reapse cogitationem modum materiæ statueremus.

PROPOSITIO IV.

513. *Mens humana est etiam a Dei substantia prorsus distincta.*

Oppositus error est purus Pantheismus: quem tenere opus esset, si humanæ animæ aut pars substantiæ Dei, aut ejusdem modificationes essent. Neque ullus est, qui oppositum unquam errorem tenuerit, qui pantheismum non profiteretur. Adeo se mutuo trahunt, & connectunt duo illa impia dogmata. Luculentissima igitur propositionis demonstratio est Pantheismi expositio, atque rejectio superius data. Pantheismum enimvero esse falsum, evidentibus demonstrationibus confecimus: quidquid ab illo ita pendet, ut, pantheismo ruente, ruat etiam necesse sit, iisdem plane argumentis conficitur: ejusmodi vero esse oppositum propositioni nostræ errorem, rem ipsam cogitando deprehendes. 2. Quid Dei nomine intelligimus, quænam de illo in mente nostra est notio, quid insimul de nobismetipsis conscientia nostra demonstrat? Duo hæc animadvertere, luculentissimæ demonstrationis loco erit. Dei nomine infinitam intelligimus perfectionem, substantiam in quacumque perfectionum ratione infinitam, æternam, necessariam, a nullo pendentem, per suammet naturam infinita claritate semper intelligentem, purum spiritum simplicissimum immensum quidem, sed omnis tamen mutationis, atque modificationis incapacem: hæc, & alia Dei nomine a nobis significari, & illius notione comprehendi, hucusque demonstravimus. Quid modo de nobismetipsis sentimus, & sincero intimæ conscientiæ testimonio edocemur? Quænam per nos est nostra cogitantium hominum conditio? Nudiustertius in lucem editi miseriis, calamitatibus, infirmitatibus undique pressi, nostræmet imperfectionis conscii, ignorantiæ tenebris involuti. Egregias enimvero æternæ substantiæ, infinite perfectæ, omnipotentis Numinis portiones! 3. Quænam sane idearum contradictio in absurdissima illa Pantheismi appendice, quam modo impugnamus! In ente

te simplicissimo infinite perfecto non modo partes, verum etiam modificationes & infinitas creaturarum imperfectiones statuere! Errores nostri, & crassissima ignorantia illa, qua per totam vitam premimur, & obruimur, digna sane esset particulæ Divinitatis perfectio! Sed hæc ulterius prosequi omittamus: qui hæc mente, & animo potest concoquere, miseratione potius est, quam impugnatione dignus.

PROPOSITIO V.

Anima humana est peculiaris quædam substantia spiritualis creata, atque in se existens.

514. Alterum hoc est ex demonstratis hactenus veritatibus corollarium. Est scilicet in nobis res cogitans, quam mentem nuncupamus: hujusmodi mentem esse substantiam, in nullius rei modificatione posse consistere, ab omni materia distingui, nihilque cogitans posse esse corpus, Dei tandem partem aut modum non existere, singillatim demonstravimus: aliud non superest tenendum, quam illam esse peculiarem quamdam substantiam spiritualem a Deo creatam, atque in sese consistentem. Secundum ad substantiæ notionem spectat, de cujus ratione est, a nullo, tanquam a subjecto, dependere, in sese consistere, & sui veluti juris esse. Primum ex alia propositione a nobis demonstrata consequitur, quod creare solius Dei omnipotentis proprium munus existat. Nulla est substantia finita, seu creata, quæ non sit a Deo: ea propter a Deo, & nos sumus substantiæ cogitantes: nihilque in propositione affirmamus, quod in superioribus jam non fuerit aliqua ratione demonstratum.

515. 2. Propositionis veritas ex ipsamet humanæ mentis cogitantis notione, & conscientia demonstratur. Ens cogitans concipimus, quin vel materiam aliquam, vel rei cujuscumque modum intelligamus. Rursus intimum conscientiæ lumen mentem nostram de suamet imperfectione & tenuitate admonet: duo igitur hæc, humanæ mentis de se ipsa notio, & conscientia sese esse substantiam cogitantem imperfectissimam ab omni materia, & modo distinctam evincunt. Quod suæmet conscientiæ testimonio imperfectum existit, ens infinitæ perfectionis, atque omnium re-

rerum principium non est, ab illo tamen originem suam ducit. 3. Contrarius error citra Pantheismum, materialismum, aut atheismum stare nequit. Res ipsa ad evidentiam patebit, si singula in propositione significata, & affirmata discutiamus: negetur *ex. gr.* animam esse creatam: erit igitur ens æternum *a se*, hoc est, Deus, aut pars, & modificatio Dei: en igitur pantheismum aut politheismum. Peculiarem esse substantiam parumper dubitas? ergo est pars, aut modus alterius substantiæ, Dei scilicet, aut materiæ: aliud enim hice philosophi non admittunt: en te materialistam, aut pantheistam. Bene est: Atheismum, pantheismum: materialismum falsissima esse demonstravimus: quidquid illorum appendix, aut consequentia existit, iisdem demonstrationibus conficitur.

COROLLARIA.

516. Quoniam igitur humanas mentes substantias spirituales cogitantes esse demonstravimus; omnia iis attributa conveniunt, quæ in substantiæ, spiritus cogitantis notionibus apparent. I. *Est igitur primo mens humana substantia simplex: ex nullis partibus composita, in nullas divisibilis: aliud & aliud in anima non distinguitur.* Nulla scilicet in re cogitante partium, aut distinctionis vestigium, aut idea apparet. Mentem ab hisce corporibus abstrahamus, supra sensus elevati rem cogitantem, cogitationem, nosmet cogitantes contemplemur: rem omni ex parte rimemur. Non aliam quidem animæ partem ad dexteram, aliam ad sinistram, neque hanc animæ partem cogitare, dum alia oscitanter feriatur, animadvertimus. Anima cogitans secundum se totam cogitat. Hujusmodi hæc sane non sunt, quæ clarissimis geometricis demonstrationibus confici possint. De abditissimis rebus agitur; quantitas omnis atque magnitudo, rationis & imaginationis objectum ab hisce ideis toto cælo removetur. Nostras tamen ideas rimando, contemplando, conscientia nostra ratiocinando, indubia hæc nobis statuimus.

517. Atque hoc etiam de capite pluribus aliis prætermissis, spiritui, rei cogitanti, humanis mentibus materia omnis plurimum perfectione concedit. Compositio imperfectionem secum defert, simplicitas vero perfectio per sese existit. Eo de capite perfectissimam simpli-

simplicitatem de primo ente cogitante, Deo optimo maximo, evidenti argumento probavimus.

518. II. *Est secundo mens humana substantia penetrabilis, corporibus non resistens, quæ eorum in loco existere, per media ipsa penetrare citra ullam omnino resistentiam potest.* Resistere scilicet, esse impenetrabile, corpora a sese excludere materiæ corporumque tantummodo proprietates sunt spiritibus, rebus cogitantibus nequaquam convenient a. Nulla hujusmodi, sed contraria potius omnia in rei cogitantis idea apparent. Res cogitans est substantialis quædam energia activa percipiens, & simplex. Quænam autem in cogitatione, activa energia, re cogitante resistentia, aut impenetrabilitas?

519. III. *Aliæ præterea corporum proprietates ex materia fluentes menti humanæ non conveniunt, imo ipsi repugnant.* Hujusmodi sunt, materiali impulsione agere, quod rei tantum impenetrabilis est, atque similia alia, quæ per totam Physicam prosequimur.

520. Esto inquis, animam substantiam simplicem esse fateamur; quomodo tamen in rebus existit? quem & quantum occupat locum; extensumne, & an potius indivisibilem? Respondeo: Exposita difficultas, quæ humanis animabus peculiaris non est, sed omnem substantiam indivisibilem materialem, aut spiritualem impetit, & a defectu nostrarum idearum circa naturam, & modum existentiæ rerum profluit, inferius explicabitur, cum de statu animæ in corpore disputabimus.

PROPOSITIO VI.

521. *Neque mens humana est aliqua Mundanæ animæ pars: neque hujusmodi mundana anima secundum sanam philosophiam admitti potest.*

Secunda propositionis pars, ut ab illa incipiamus, vel hoc uno satis evincitur, quod res maximi momenti citra ullum omnino fundamentum asseratur. Universum mundum, ita ego philosophis, animæ mundanæ assertoribus argumentandum arbitror. Universum mundum animatum dicitis, animal esse contenditis; ab anima universali tanto corpori proportionata informari, agi, animari contra omnium ho-

minum ſenſum, non experimento, non conſcientia, nulla denique analogiæ ſpecie ducti adſtruitis: probate. Res facti in medium a vobis ſtatuitur: aliquod veritatis criterium, aut probabilitatis notam proferte, unde res poſſit aliqua tandem ratione confici. Nulla ſane hic evidentia, aut demonſtratio metaphyſica, phyſica, aut moralis: experimenta res ipſa non patitur, fide hic non agitur: nulli etiam probabili analogiæ locus eſſe poteſt: omnia igitur cum certitudinis, tum probabilitatis criteria deſiderantur. Rem enimvero facti contra ſenſum communem, ſine ullo fundamento adſtruere, per ſanam philoſophiam, & criticæ regulas non licet. Quanti apud prudentem quemcumque, & cogitantem philoſophum eſſe debeat brevis hæc ratio, & fundamenti expoſitio, lectori pronuntiandum relinquo. Meo quidem judicio ad propoſitionem penitus ſtatuendam aliud opus non eſt.

522. 2. Eſtne univerſalis illa mundi anima ſubſtantia ſimplex, an potius ex partibus compoſita? nihil intercedit medium: ſi primum, eadem omnino anima vivent data quæcumque hujus univerſi corpora, ſeu partes toto cælo aliunde inter ſe diverſæ, & mira ſane ſuarum proprietatum complexione diſtinctæ. Qui fieri poſſet, ut ab ſimpliciſſima anima, ubique diffuſa, & in omnibus corporibus eadem, tot diverſæ naſcantur proprietates, rerum indoles, varia phænomena inter ſe diverſiſſima; dum commune omnibus ſtatuitur principium, atque radix, unde omnia profluant, & germinent?

523. Rurſus rem ſimplicem ubique eſſe, peculiaris eſt immenſitatis character: quidquid ubique diffunditur nullis terminis circumſcriptum, immenſum exiſtit, quod unius entis neceſſarii attributum eſſe poteſt. Deum autem animam mundi dicere, aut verborum ſignificationem mutare eſt, novaſque imponere notis vocabulis ideas, aut rem abſurdiſſimam ſtatuere. Deum æternum, atque immenſum univerſitatis rerum eſſe cauſſam, neceſſarium exiſtit; animam vero, impoſſibile; ſi veram, & communem animæ notionem tenemus. Quod ſi ejuſmodi anima ponatur diviſibilis; tum vero vel ejus partes ſunt natura prorſus ſimiles, ſeu ejuſdem rationis, vel diverſæ: Si pro corporum diverſitate diverſæ; non una igitur totius mundi, ſed tot dici deberent animæ, quot in mun-

mundana universitate sunt corporum species aut individua. Si primum: eadem igitur essent in omnibus, & singulis corporibus, & materiæ partibus mundanæ animæ munia, character, indoles: nihil plane discriminis ab ejusmodi anima acciperent corpora.

524. 3. Sed ut uno ictu utramque dilemmatis partem recidamus, vel ejusdem, vel diversi generis mundanæ animæ partes statuantur: impossibile primo apparet aliquas in illa esse partes: anima scilicet mundana, si qua esset, secundum ejus fautores, esset res cogitans: jam vero rem cogitantem ex partibus componi, impossibile supra demonstravimus.

525. 4. Tandem mundanam animam non esse materiam, duo hæc præter alia, conficiunt, cogitatio, & penetratio cum corporibus: quidquid cogitat, quidquid cum corporibus est penetratum, non est materia, corporis proprietates non habet, oppositis donatur: utrumque suis in locis late prosequimur. Quandoquidem ejusmodi anima materia esse non potest, aliaque ex parte universalem spiritum unum agnoscamus Deum: Numini autem, non animæ, sed principii, & universalis caussæ munus naturæ necessitate conveniat, unum superest dicendum, nullam plane esse mundanam animam. Integra hæc rerum universitas a Deo Optimo Maximo condita citra ullam universalem animam iis semper constantissimis legibus dirigitur, quas omnipotens æque, atque Sapientissimum Numen absoluto voluntatis suæ imperio stabilivit, & ratas semper esse voluit. A Deo enimvero ad aliquem finem secundum rectissimas aliquot leges mundanam hanc machinam, omnesque ejusdem partes fuisse conditas, stabilitas, dispositas, ex ipsamet sapientissimi Numinis notione demonstravimus. Ejusmodi leges, atque providentiam ad perfectissimam totius machinæ directionem satis esse, inficiari nemo potest: omnium igitur confessione caussam habemus constitutionis, & conservationis Mundi sufficientem, atque certo existentem: quapropter contra philosophandi regulam peccaremus; si neque necessariam, neque probatam, ipsomet rationis lumine contradicente, mundanam animam admitteremus.

526. Prima propositionis pars evidens est alterius hucusque demonstratæ corollarium. Rei enimvero non existentis, immo & impossibilis neque pars, neque modus

dus esse potest anima nostra: nihili equidem nullæ sunt proprietates, nullæ partes, nullusque tandem modus. Sed etsi mundana aliqua esset anima; aliud sane ab illa humanam mentem existere, plurima conficiunt; & primo quidem mentem cogitantem modum esse non posse, luculenter jam demonstravimus. 2. Eædem præterea rationes animam nostram nullius alterius substantiæ partem esse evincunt: substantia cogitans ex suamet notione spiritus esse, simplex, in sese sistens, sui juris, ab nullo alio, tanquam a subjecto, aut toto dependens deprehenditur. Etsi nulla sit, etsi etiam mundana illa anima deficiat: quam existere parumper pono, nihil tamen inde detrimenti in mentem humanam cogitantem provenire video: inspectis duplicis hujusce animæ, mundanæ universalis, & nostræ hominum mentis ideis, nihil in iis apparet commune, nulla inter mentem nostram, & universalem illam animam relatio.

527. 3. Essentne igitur pars animæ mundanæ in homine cogitans & pars altera in lapide existens, duæ ejusdem universalis animæ partes? Quænam autem inter hujusmodi partes similitudo? Estne utraque hæc pars spiritus, res cogitans? Quanam autem fronte spiritum cogitantem in lapide quocumque citra ullum fundamentum adstrues? an potius erunt materia? Tum vero materiam cogitantem, cogitationem divisibilem contra omne rationis dictamen induces. Suntne potius diversi plane generis substantiæ? detur id tandem; alia igitur ab altera non dependet, & nullam inter se habent mutuam relationem; ejusdem totius, seu animæ, partes esse non possunt. Fusius ista prosequi, & male conceptum humanæ mentis abortum pluribus impugnare, supervacaneum duco.

PROPOSITIO VII.

528. *Neque etiam secundum veram sanamque philosophiam dici potest, humanam mentem alicui corpori esse semper unitam.*

Opposita idea, veterum quorumdam opinamentum, purum putum est sensuum præjudicium. Cum sensibus percipiamus, unaque sint corpora, quæ sensu attingere possimus; inde etiam est, quod, substantiam quam-

quamcumque, aut spiritum cogitemus, ad instar corporis rem nobis repræsentemus, atque materiali imagine cogitando vestiamus. Familiaris hic noster concipiendi modus: nos semper, mentemque nostram sensus, & sensibilia alliciunt, rapiunt, ad sese trahunt. Pronum inde est, ut sensus rationem suo modo inficiant, puraque intellectionis objecta alienis ornent coloribus. Hinc præjudicium, quod rudi vulgo donari utcumque potest, cogitanti philosopho est semper indecorum.

529. Propositio facile constat. 1. Perinde ut materia quæcumque seorsim a spiritu, seu re cogitante separata existere potest, neque a re cogitante, cui semper uniatur, dependet; pari etiam ratione idem de cogitante substantia, seu spiritu dicendum oportet. Utraque scilicet est res sui juris, in sese sistens, a distincto subjecto non pendens: præter hæc est proculdubio spiritus, mens humana cogitans quacumque materia perfectior: novum sane caput, unde potiori jure dicendum oportet, ab omni substantia corporea mentem humanam posse existere separatam. Dum in hisce rerum ideis, & duarum substantiarum notionibus insistimus: nihil video, quod a philosopho negari possit. Modo sic: posse mentem cogitantem ab omni materia separari, concedis reapse separatam existere inficiaris: posse igitur admittis, factum negas: facti quæstionem adstruis; proba. Unde tamen probabis? Ad experimento, ab auctoritate, a ratione? At sub experimentum hæc non cadunt: hominum auctoritas philosophanti metaphysico parùm negotii facessit; ratio tibi plane opponitur. Materiam fateris ab omni re cogitante de facto separatam existere: cum oppositum de anima cogitante probare non possis, sitque illud animæ ipsius notioni, & perfectioni contrarium; nisi irrideri amas, præjudicium deponere oportet.

530. 2. Quodcumque tandem sensibus concedas, eorum fines utcumque extendas, Deum Optimum, Maximum, infinitæ perfectionis spiritum non modo citra omnem materiam concipi, atque existere posse, sed ita reapse existentem fatearis oportet, quidquid in oppositum reluctentur sensus; nisi in pantheismum, aut materialismum summo rationis dedecore devenire malis. Spiritum illum necessarium, cogitantem a materia non pendere, citra illam ab æterno extitisse, nulli

etiam

etiam esse materiæ conjunctum, in superioribus demonstravimus (Divinæ incarnationis mysterium hic ego non attingo): pari tamen conamine ad Spiritum, & Numen citra materiam concipiendum reluctantur sensus. Igitur, velis nolis, spiritum sine materia, animam sine corpore admittas oportet. Hac sane ratione ad evidentiam patet, id, quod modo versamus, argumentum extra sensuum provinciam totum esse. Ad spirituum rationem decidendum nihil valent sensus: sola hic agitur ratione: si unam hanc audiamus; ens cogitans, substantia spiritualis neque ad existendum, neque ad cogitandum ab aliqua pendet materia. Quin immo materia, cogitandi quidem per se incapax, cogitantis substantiæ muneri opponitur, unde nova desumitur propositionis ratio.

531. 3. Spiritus cogitans citra illud sane natura, indoleque sua existere debet, quod suæmet naturæ muneribus & actionibus semper opponeretur, & perpetuo impedimento esset. Materiam sane, atque organicum nostrum corpus intelligentiæ nostræ, perfectoque aliarum animæ facultatum exercitio opponi, is solus negabit, qui physicam viventium nunquam legit, neque se ipsum agnoscit: natura igitur, indoleque sua sine corpore, & subtilissima quacumque materia humanæ mentes existunt. 4. Si alicui semper subtilissimo corpori unita esset anima humana (ut nihil modo de primitivo illius statu dicam, cum humano nostro corpori primum infunditur); quale illud est corpus, cui anima a terreno hoc organico jam libera post mortem unitur? Eratne jam illi intra corpus humanum conjuncta, an in illud tantummodo pertransit, cum primum relinquit? Secundum hoc Pythagorica esset transmigratio, inane scilicet delirantis philosophiæ commentum. Quænam hic de commentitio illo, & novo animæ habitaculo quæri possent, & mille in illud difficultates opponi? Sed obsoletam, atque absurdam per sese sententiam multis prosequi, prudentis consilii non est. Quod si diceretur primum; quo sane pacto corpus intra corpus, materia intra materiam existeret? Quid tandem rerum est corporum impenetrabilitas omnium sensuum testimonio confirmata? Quanam ratione subtile illud corpus organicum in corpus humanum introgreditur, & ab illo post mortem egreditur? fieri

ne

ne hæc per corporum resistentiam possunt? Eone corporis per medium aliud corpus organicum transitu organicus illius subtilis corporis mechanismus, atque partium dispositio non penitus dissolveretur? Parco aliis, ne inane figmentum fusius, quam par est, prosequamur.

PROPOSITIO VIII.

532. *Anima humana neque unica est in omnibus aut diversis hominibus, neque in eodem multiplex existit.*

Est dicere, in singulis hominibus singulæ etiam sunt animæ, neque in uno, eodemque homine plusquam una reperitur. Prima propositionis pars a nemine in dubium veritur. Omnia distinctionis argumenta, notæ, & characteres inter diversorum quorumcumque hominum animas manifeste deprehenduntur. Neque nisi cachinnis esset, atque miseratione dignus, qui eandem in vigilante modo Pekinensi Mandarino, atque in dormienti Americano animam esse assereret. Eodem sane jure nulla inter diversorum hominum corpora distinctionem admittere opus foret. Unus esset Pantheista, omnium philosophantium absurdissimus, qui diversorum hominum animas eamdem substantiam esse diceret: aliquam ipse tamen non in rei ipsius substantia, sed in modificationibus distinctionem agnoscit; nisi igitur Pantheistis annumerari amas, aut absurdiorem adhuc errorem adstruere; in singulis hominibus singulas animas agnoscas oportet.

533. Secundam propositionis partem negabant olim Platonici (*a*), & pauci aliqui posteriorum etiam temporum philosophi inficiantur: quorum omnium sensus est, duas in singulis hominibus esse animas, rationalem unam, sensitivam vero alteram. Utrique animæ secundum Platonicos suum erat corpus; primæ quidem cæleste, terrestre autem secundæ, quin immo cæleste illud rationalis animæ corpus terrestris corporis idea existebat. Eamdem duplicem animam admisit *Philon*, platonicus philosophus (*b*), Gnostici Ma-

(*a*) Apud *Cudworth* cap. 5. §. 3.
(*b*) *Philon.* de opificio Mundi.

(a), Manichæi (b), *Tertullianus* (c), *Mosbemius* (d) *Jamblicus* (e) & alii. Hoc & nos argumentum in physica viventium jam attigimus, & sensitivam illam animam a rationali distinctam rejecimus. Summa rei est: 1. Unus ille spiritus, seu substantia spiritualis cogitans proculdubio in nobis existens ad omnes hominis functiones, animæ proprias, agendum, & explicandum sufficit. Primum hoc fuse in physica viventium probavimus: nonnihil præterea in sequenti lectione superaddemus. Nullus, credo, de re dubitabit, qui intimum humani corporis mechanismum loco citato expositum penitius agnoscat. Atque ex hoc capite argumentor, in una rationali anima habere nos & caussam certo existentem, & observatis animæ effectibus sufficientem: eaque propter animam alteram, secundum eorundem effectuum principium, & caussam admittere per sanam philosophiam, & recte philosophandi regulas non licet.

534. 2. Secundam illam animam a mente cogitante distinctam, cui nostri omnes sensus tribuantur, illa penitus profligant valdissima argumenta, quæ adversus Cartesianos, & Peripateticos circa brutorum animantium animas in physica viventium attulimus. Est scilicet sensitiva illa anima spiritus cogitans, an potius materia? Primum dicere, esset quæstionem non solvere, sed novis potius difficultatibus implicare: si etenim ita res esset, spiritui amplius non opponeretur *sentire*: posset spiritus hæc omnia agere, omnibus hisce modis objecta percipere: quidni igitur eadem hæc munera animæ rationali, hoc est, perfectiori spiritui non tribuentur? Secundum vero, hoc est, materia, seu substantia materialis sentiens, dolens, gaudens, imaginans, & mirabiles alias humanarum animarum functiones agens, adeo est a ratione alienum, ita ad materialismum humanam mentem ducit, iisque tandem difficultatibus premitur, ut meo saltem judicio teneri omnino non possit. Quoniam tamen, quæ se-

(a) *Epiphanius* hæresi 26.
(b) *Beausobre* hist. Manichæor. t. 2. l. 6. cap. 3.
(c) Lib. de anima cap. 8.
(d) *Mosbem.* ad *Cudvorth.* l. 18. §. 19.
(e) de myster. Ægypt. §. 11. cap. 17.

ſecundam hanc partem, hoc eſt, ſubſtantiam materialem ſentientem evertunt, citato loco fuſe expendimus, eo lectorem remittimus, ne eadem argumenta repetamus.

535. Illud vero antiquorum commentum, ſingulis ſcilicet hiſce animabus ſingula eſſe corpora, quæ ab iis vivificentur, inania ſapit Platonicorum ſomnia: nulli fundamento innititur, notis corporum proprietatibus opponitur, neque eſt ſeria confutatione dignum.

PROPOSITIO IX.

536. *Humanæ animæ non fiunt ex propagine a parentibus in filios non tranſmittuntur.*

Antequam ad diverſos animæ ſtatus, & proprietates expendendum deſcendamus, circa animarum originem, atque illarum creationis tempus aliquantulum immoremur: eo pacto capitibus omnibus in lectionis limine propoſitis faciemus ſatis.

537. Veritatem hic adſtruimus non modo olim inter philoſophos, ſed inter aliquos etiam Patres acriter agitatam, de qua ita ſcribit *Auguſtinus*: *Earum autem ſententiarum quatuor de anima, utrum de propagine veniant, an in ſingulis quibuſcumque naſcentibus mox fiant, an in corpora naſcentium jam alicubi exiſtentes vel mittantur divinitus, vel ſua ſponte labantur, nullam temere affirmari oportebat: aut enim nondum iſta quæſtio a Divinorum librorum catholicis tractatoribus pro merito ſuæ obſcuritatis, & perplexitatis evoluta, atque illuſtrata eſt; aut ſi jam factum eſt, nondum in manus noſtras hujuſmodi litteræ pervenerunt.* Quoniam theologos non agimus, eam provinciam theologis relinquamus, ut propoſitionem ex ſacrorum librorum auctoritate probent: nos interim, quod philoſophi, vel naturalis etiam theologi muneris eſt, rem noſtram ſola ratione proſequamur.

538. 1. Singulæ hominum animæ ex hucuſque demonſtratis ſunt ſubſtantiæ ſimplices & inter ſe diverſæ: jam vero rem ab alia tanquam ex propagine effluere, ſubſtantiæ ſimplicis notioni penitus repugnat. Rem ab alio propagari, ſeu ex propagine fieri, eſt, ex principii ſui viſceribus, in quibus continebatur, produci, germinare, conformari, formatam vero expli-

plicatione, & productione educi: Bene hæc omnia in composita materialia, in corpora organica, & naturales machinas, hoc est, animantium quorumcumque corpora conveniunt, quæ intra matrum uterum efformantur, seu disponuntur, fæcundantur compacta vero, & fæcundata explicantur, nutriuntur, augentur, excluduntur. En veram animantium propagationem, quæ in vegetantibus non dissimili modo peragitur: omnia hæc compositam substantiam, partium distinctionem manifeste ponunt: mechanismus, ordo partium, conformatio totius hic semper intelliguntur: quorum nulla in substantiam simplicem, nulla partium distinctione compositam, convenire possunt.

539. 2. In naturalibus generationibus, seu propagationibus nulla substantia nova, antea non existens a caussis naturalibus efficitur: tota caussarum naturalium vis activa in substantiarum jam existentium partibus ordinandis, in formam compositi disponendis, explicandis, deucendis consistit, ut per totam Physicam viventium exposuimus: at cujuscumque hominis anima, simplex scilicet substantia, parentis anima, pari simplicitate prædita, penitus distinguitur: nova hæc est substantia non modo ab utriusque parentis anima, sed ab omnibus eorum corporum partibus, & generatim ab omni materia distincta: mens ergo cogitans, nova, atque distincta substantia, omnis compositionis incapax ex propagine fieri non potest. Neque etenim humani corpusculi materia, nullæ illius substantiæ partes virtute, & actione parentum fiunt: quidquid modo est hominis cujuscumque corpus, quæcumque in materno utero ejus corpusculum componebant partes, in rebus jam ante parentum existentiam erant. Et hinc iterum argumentum desumo.

540. 3. Nulla substantia ex vera propagine generatur; neque materia germinat materiam, neque spiritus germinat spiritum, res scilicet cogitans substantiam cogitantem. De prima hujus argumenti parte conveniunt omnes, quicumque naturam non in cerebro tantum humano meditantur, sed in hujus etiam universi libro comtemplantur. Si ergo nulla materia ex alterius materiæ visceribus propagine naturam suam accipit, effluit, emanat; potiori sane jure substantia cogitans ex rei cogitantis visceribus,

quasi

quasi surculus a trunco non germinat, & propagatione non generatur.

541. 4. Enimvero quod ex germine, seu propagine fit, intra principium suum efformatur, & continetur. Eo sane pacto surculi quicumque, flores, fructus ex arboribus, truncis, radicibus germinant, & propagantur: neque aliam propagationis nomine ideam concipimus. In parentis vero anima, simplici substantia cogitante, aliam animam, simplicem pariter substantiam cogitantem efformari, contineri, res est purum sapiens materialismum: quædam enim organorum species in omni propagine intervenit, quod sine materialismo, & mechanica divisibilis materiæ dispositione non intelligitur.

542. 5. Uno verbo: Anima quæcumque humana est vera substantia ab utriusque parentis animabus distincta, & insimul spiritus cogitans, per sese citra ullam a subjecto quocumque dependentiam existens: omnis substantia, hoc est, res quæcumque per se existens ex nihilo fieri non potest, nisi per veram creationem: creatio est opus solius Dei, omnem creaturarum vim superans: creari autem, atque ex propagine fieri, duo sunt inter se penitus opposita: quidquid germinat, seu ex propagine, & surculo fit, non creatur ex nihilo, e visceribus sui trunci, aut radicis, in qua secundum propriam speciem continebatur, explicatione educitur, seu extrahitur.

543. Neque igitur, oppones, brutorum animantium animæ fiunt ex traduce; a parentibus in progatam a se sobolem non transmittuntur, neque generantur? Ita quidem respondeo. Quorumcumque animantium animæ sunt veræ substantiæ sentientes: Cartesianorum authomata, Peripateticorum substantiales formas materiales non agnoscimus: cum igitur sint novæ substantiæ a parentum animabus penitus distinctæ; ab iis non germinant, aut quasi ex surculo propagantur, sed per veram creationem fiunt. Quid igitur rei est animantia ex animantibus generari, & secundum species suas a parentibus novis semper generationibus propagari; si neque prognatorum materia, neque eorum animæ a parentibus generantur? Respondeo: physicam hujusce rei explicationem in loco dedimus: longeque a scopo deflecteremus, si argumentum physicum, alias a nobis expositum, in Metaphysica iterum daremus.

PROPOSITIO X.

544. *Animæ humanæ in singulis quibuscumque nascentibus hominibus a Deo creantur; neque ante corporum formationem existunt.*

Ex quatuor illis sententiis ab *Augustino* superius relatis secundam hac propositione adstruimus: hæc una scilicet a philosophanti metaphysico admitti potest & debet. Tria in propositione asserimus: 1. Humanarum mentium, seu animarum Creatorem unum esse Deum: 2. Ante corpora animas non extitisse, in ipsaque proinde corpora sponte sua non fuisse delapsas: 3. In generatis corporibus organicis fuisse crearas: hoc est, animarum creationis *auctorem, modum & tempus* statuimus.

545. Primum: Physicæ cujuscumque substantiæ productio est vera creatio: creandi autem munus, atque potentia soli omnipotenti Deo convenit: hæc vero humanarum animarum ratio est. Simplices substantiæ illæ existunt; unum igitur Deum omnipotentem habent caussam. Singula hujusce ratiocinationis capita seorsim in superioribus probavimus.

546. Secunda pars creationis tempus spectat, & *Origenis*, aliorumque veterum sententiæ opponitur: hisce autem momentis probari, suaderique potest. Animarum ante corpora existentiam statuere, maximi sane momenti rem, est, asserere, quæ aliam secum defert, aut indicat rerum providentiam, atque statum, de quibus ne obscurissimam quidem habemus ideam. Quæstionem facti, & maximi momenti definis: proba igitur: Philosopho sine ratione agere, ratiocinari, rem statuere, quæstionem solvere, maxime est indecorum: omnia tamen hic probationum momenta, ratio, sensus, analogia desiderantur: humanam vero fidem argumentum non admittit.

547. 2. Antiqui illius animarum status, atque existentiæ corpora nostra antecedentis nullum unquam in mortali aliquo fuit conscientia, aut conscientiæ vestigium: quæ in primævo illo statu animæ nostræ gesserint, nulla est in animabus ipsis memoria. Estne absolutissima ante actarum rerum omnium oblivio fatalis aliqua transmigrationis animarum consequentia, præsentis status conditio, aut patratorum scelerum pæ-

pæna? Magnifice quidem hæc omnia asseri possunt, & ab *Origene* adstruebantur; quamdiu tamen adstruendi rationes non producuntur, inanibus ideis pascimur. Fuere ne præterea eadem plane, aut æqualia scelera ab omnibus, & singulis mortalium animabus illo statu patrata? Æqualis enim in omnibus est cunctarum rerum oblivio.

548. 3. Philosopho rerum naturam, & statum contemplanti manifestum apparet, homines potissimum esse objectum, & compositum in Physica hac rerum universitate a naturæ auctore intentum. Quod vero meditanti philosopho apparet in hoc rerum theatro perfectius, casune, aut præter sapientissimi opificis intentionem factum existimabimus? Primum dicere, esset apertissimum Epicurismum contra rationis evidentiam adstruere: secundum, ideam Dei, Providentiæ, atque sapientissimi Numinis everteret; essetque Deo ipsi injuriosum, & blasphemum: utrumque vero sanæ philosophiæ manifeste opponitur. Bene est: in archetypa igitur æterna, & divina hujus universi idea homo sane inter præcipuas illius objecti partes apparet: tam vero organicum corpus humanum, quam humanæ mentes mirabiles hujusce totius partes existunt, atque ad idem totum ab auctore intentum componendum fuere a Deo creatæ: præcipuam autem, atque potissimam totius partem longe antea condere, quam illud compositum creetur, cujus tantum gratia pars illa, hoc est, anima cogitans creanda erat sapientissimæ providentiæ conforme esse non videtur: quantum de abditissimis rebus humana ratio judicare potest.

549. 4. Enimvero si ante corpora in alio rerum statu humanæ animæ aliquando extiterunt, neque nisi ob patrata scelera intra corpora luenda in ipsamet corpora fuerunt detrusæ; duo inde consequentur non facile vel ab ipsis Origenistis admittenda: 1. non eo sane fine creatas a Deo fuisse animas, ut una cum organico corpore hominem constituerent: 2. Cum æqualis, & perfectissima in omnibus hominibus deprehendatur præcedentis illius status ignorantia, criminum scilicet pæna; nulliusne hominis anima citra crimen, primum illum statum, seu vitam transegit, æquale, aut idem in omnibus delictum?

550. 5. Brutorumne animantium animæ sua quæ-

que corpora præcesserunt, atque ob commissa pariter ab iis crimina, in bestiarum corpora fuerunt detrusæ? In quemnam sane poeticarum fabularum, atque imaginationum campum humanam mentem hæc idea, atque sententia manuducit?

551. Et hæc quidem sunt argumenta illa, quæ naturalis ratio suppeditat, quæque una philosophanti metaphysico adhiberi permittitur, ne contra incredulos auctoritatem omnem irridentes agens, ab iis pariter exsibiletur. Aliunde tamen scimus, quali argumentorum specie a sacrorum librorum auctoritate petita theologi passim secundam hanc propositionis partem contra Origenistas conficiunt. Cum nullum opponatur momenti alicujus argumentum; nisi vanas Pythagoricorum, & Platonicorum ideas, & fictiones eo nomine dones; rebus inutilibus omissis, ad alia progrediamur.

552. III. Quod tamen tertio loco in propositione asserimus, ex duplici alia ejusdem parte hucusque probata sponte profluit. Humanas mentes antequam corpora humana efformarentur, in rerum naturam e nihilo non fuisse extractas, probavimus. Ab uno igitur auctore Deo aut insimul cum corporibus fuerunt creatæ, aut postquam corpora ipsa in materno utero formata ad eam partium explicationem devenerunt, ut & vivificante anima opus haberent, & ad aliquas saltem naturales; animalesque functiones peragendas apta existerent.

553. Tria hic ad argumenti totius complementum expedienda supersunt, quæ philosophanti ex sese objiciuntur, & moras inferunt. 1. Qui tamen dicta hucusque stare possunt cum illa toties a nobis inculcata philosophandi regula, quod effectuum naturalium productio in Deum ipsum tamquam in proximam, & peculiarem caussam non est referenda? Est scilicet per nos etiam Deus caussa universalis omnium rerum; mundum tamen primo condens suos singulis effectuum, atque rerum ordinibus caussarum etiam ordines esse voluit, & statuit. Duplici igitur hoc de capite ante corpora fuisse, & existere animas statuendum apparet: Primo, quia aliter ad singula temporis momenta de novo semper ageret Deus. Secundo, Id vero cum universalis caussæ munere, sapientissimi artificis conditione, & philosophandi regula non

co-

cohæret. Sapientissimi conditoris, atque artificis est, machinam ita construere, ut ingenio illa suo deinceps semper moveatur, & gubernetur, quin auctoris indentidem opus habeat. Opposita omnia imperfecti artificis character existunt. Deum enimvero ad infinitarum fere rerum, & effectuum explicationem advocare, in Deum sæpe confugere, neque philosophanti homine, neque universali auctore Deo digna est philosophandi ratio.

554. Resp. Neque in adductam philosophandi regulam peccamus, neque Deum in effectus creatarum caussarum proprios adducimus, neque aliquid sacre paginæ sensui non conforme statuimus, aut admittimus. Creatarum causarum non est substantias creare: earum efficacia ad effectuum productiones, mutationes, seu modificationes substantiarum extenditur: ad ejusmodi effectuum productionem, atque explicationem Deum, primam, & universalem rerum omnium caussam non adducimus, aut in Deum pro explicatione confugimus. Humanas mentes, substantias spirituales esse; & creatione tantum effici posse, demonstravimus, quod quidem unius Dei munus esse constat. Nihil esse sub sole novum dicitur: hoc est nullas substantiarum species, aut genera in rerum theatrum de novo producit, & ex nihilo extrahit Deus. Ex quo mundus est a Deo conditus, humana existit species, & omnia alia substantiarum genera, modo in natura existentia, fuere in rebus semper: eademmet prætcrea rerum naturalium vicissitudo, humanarum actionum fluxus, & conditio extitit. Hoc unum sententiæ illius sensus est. Alia vero, & alia ejusdem antiquissimæ substantiarum speciei individua, ejusdem generis substantias de novo creari, neque allatæ sententiæ, neque philosophandi regulæ, neque Dei Optimi Maximi sapientissimæ Providentiæ opponitur: & hoc primum.

555. Secundum est: in corporene, an potius extra corpus animas creat Deus, ut corporibus deinde vel genio suo, vel creatoris voluntate infundantur? In corpore, Respondeo: Mentem enim cogitantem humanam e nihilo producit Deus, ut hominem condat, mirabile scilicet ex spiritu, & materia, ex anima cogitante, & organico corpore compositum; inspecto igitur creationis humanarum animarum fine; iis prætcrea animadversis, quæ fuse hucusque explicuimus,

 alind

aliud ſane ſtatuere non poſſumus, quin contra naturalem rationem, & communem hominum ſenſum peccemus: factumque ſtatuamus nulli plane ſtatuendi fundamento innixum.

556. Quod ſi rem eamdem non jam materialiſtæ, aut libertinorum philoſophorum alteri ſolam rationem audientium, omnemque auctoritatem irridentium, ſed vel tibimetipſi, vel chriſtianis tantum philoſophis perſuadere velis; datam reſponſionem ex eo tandem conficies, quod omnipotens rerum conditor Deus, ut hominem conderet, & formatum jam humanum corpus vivificaret, atque perfectum hominem conſtitueret, *inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ* (a): ut ſcilicet, *& revertatur pulvis* (hoc eſt, humanum corpus) *in terram ſuam, unde erat; & ſpiritus redeat ad Deum, qui dedit illum*. Ex quo tria hæc naturalis religionis, & metaphyſicæ capita profluunt, humanas nimirum animas eſſe ſpirituales, a Deo uno fieri, in humano corpore creari. Primum ex adducto textu fuſe deductum videas ab *Auguſtino* (b) *Cyrillo* (c), *Theodoreto* (d), & aliis Patribus: & ex Patribus *Sherlock* (e), & plures alii eundem ſenſum amplectuntur. Reliqua duo ex ipſiſmet verbis manifeſte deducuntur, & communi Patrum interpretatione confirmantur.

557. *Tertium* erat, quonam tempore a Deo in humano corpuſculo crearetur, atque infunderetur anima: reſpondeo, hujuſmodi quæſtionis ſolutio ad metaphyſicam non ſpectat; ſed ex iis decidenda res eſt, quæ in Phyſica viventium ſtatuimus, & late explicamus.

PROPOSITIO XI.

558. *Animæ humanæ ſunt, non modo attentis cauſſarum naturalium viribus, ſed etiam indole propria, atque ſpeciali ſupremi Numinis voluntate immortales.*

Maximi momenti quæſtionem, & argumentum attingimus, humanarum animarum immortalitatem. Hoc

(a) Geneſis cap. 5.
(b) De civitate Dei l. 13. c. 14.
(c) Cyrillus in Joannem l. 12. cap. 56.
(d) Quæſtione 23. in geneſim.
(e) De l'imortalite de l'ame chap. 3. §. 1.

Hoc sane ex iis est non modo totius Philosophiæ, sed naturalis etiam religionis principiis, ex quibus humana omnia pendent. De nobismet ipsis, de universis hominibus agitur: nostrarum animarum, hoc est, nostrimet conditio, sors, futurus status, æterna felicitas, aut miseria quæritur; universi homines in litis argumentum vocamur. Si mortales statuimur, hoc est, animantibus brutis adnumeramur, nihilque nostri post corporum dissolutionem remanet superstes; si una cum corporibus animæ etiam nostræ pereunt, in patrium chaos, aut nihilum iterum redactæ: quænam ex nefando hujusmodi dogmate in mores, in humanam societatem, in respublicas, in omnem humanam vitam non consequerentur? Contra vero, si post dissoluta etiam corpora superstites semper erimus, aliaque nos remanet interminata vita præmiis, aut pænis cumulatissima; quænam pariter inde in animis nostris sollicitudo, quænam cogitandi, statuendi, vivendique ratio, atque diversitas in humanum genus inducatur, opus est?

559. Antequam in rem ipsam probandam deveniamus, quid nominis, quid rei immortalitatis vocabulo significemus, & intelligamus, quid etiam impræsentiarum statuamus, exponendum est. Quid Deus, prima rerum omnium caussa, quid creaturæ circa rerum creationem, productionem, destructionem, redactionem in nihilum possint, & agant, quid quatuor hæc actionum genera existant, & in Physica generali & in superioribus etiam exposuimus. Creare, atque in nihilum redigere unius Dei est; producere, generare mutare, destruere secundarum caussarum munera sunt: primæ illæ actiones ad substantias creatas pertinent, posterioribus composita solummodo, modificationes rerum, phænomena corporum naturalium producuntur. Quatuor immortalitatis species eo nomine significari possunt: 1. Absoluta, atque perfectissima existendi necessitas. 2. A nullis caussis naturalibus posse omnino destrui, seu in nihilum redigi, maxime tamen a Deo: 3. Peculiarem æterni Numinis, atque Divinæ Providentiæ voluntatem, qua rem aliquam semper conservandam decernat. 4. Specialem, atque naturalem, cogitantis substantiæ indolem, atque datum ipsi a Deo ingenium, quo æternitatem inhiet, & innato quodam instinctu

appetat. Prima illa immortalitatis species solius Numinis propria est, ex infinita entis necessarii perfectione profluit, neque nostra hac propositione intelligitur. Tres aliæ creaturarum sunt, aut esse possunt: & secunda quidem non modo substantiæ cogitanti, sed universim substantiæ cuicumque convenit. Secundam hanc immortalitatis speciem, & postremas duas de humanis animabus affirmamus, eumque statuimus propositionis sensum, humanæ mentes non ea modo ratione sunt immortales, quod a naturalibus caussis destrui non possint, verum etiam, quod præcipuum est, ea Dei voluntate, ea innata indole, ingenio, natura conditæ a Deo sunt, unde illas æternas fore consequitur.

560. Habes propositionis nostræ sensum, & quod de animabus nostris statuamus. Ut lectorem etiam non lateat, quibuscum nobis sit in præsenti argumento controversia; priusquam in probationes descendamus, humanæ mentis deliria circa potissimam nostrimet esse partem, varias philosophantium opiniones & sensus consideres velim. Quænam scilicet est, ab antiquis, & recentioribus philosophis quære, humanarum animarum conditio, quod immortalitatem spectat? Mortales, respondent 1. cum veteres, tum recentiores Materialistæ, Epicurei, *Hobbes*, *Spinosa*, *Tolland*, *Couvvard* (*a*). In eundem sensum respondent, aut nulla saltem ratione animæ immortalitatem probari posse existimant Deistæ *Collins*, *Woolston*, *Morgan*, *Chubb*, *Bolingbrok*, *Shaftsbury* (*b*). Idem etiam fuit *Helvetii* sensus, qui non sine christianarum aurium horrore humanas animas ejusdem, atque illæ bestiarum, conditionis, & naturæ esse statuit, nulla libertate, nulla immortalitate præditas (*c*). Absurdissimus hic circa animarum nostrarum immortalitatem error est. Qualis in præsenti argumento fuerit *Aristotelis* sensus merito dubitatur. *Pomponatius* sane animæ immortalitatem cum Aristotelis principiis stare

non

(*a*) In locis passim toto hoc opere citatis. vide Budæum de Atheism. c. 3.

(*b*) Eorum confutationem videre est apud *le Land.* Exposition &c. Londini anno 1754.

(*c*) *Helvetius* l' Esprit.

non posse, acerrime contra *Niphum* propugnavit (a).

561. Quæstionem eamdem ita nonnulli alii resolvunt, ut vel omnino dubitent, vel naturali saltem ratione rem definiri non posse existiment. Primum tenent omnes Pyrrhonici: secundum vero non pauci etiam recentiores, qui animæ immortalitatem sola Dei auctoritate constare autumant; cujusmodi sunt *Pufendorff* (b), *Petrus Bayle* (c), *Daniel Huetius* (d), iique præterea omnes, qui naturalem religionem sola auctoritate probari posse contendunt: quam sententiam tenet, & fuse prosequitur *Campbell* contra Distas (e). Et hi quidem omnes relati hucusque philosophi humanas animas aut immortales esse negant, aut dubitant, aut sola auctoritate confirmant.

562. Ex adverso animas esse immortales, communis semper fuit humani generis sensus: ejusmodi prætereа dogma, naturalis religionis fundamentum, præter auctoritatem, quæ solis Christianis, & Hebræis nota est, naturali etiam sola ratione demonstrari, sana semper docuit philosophia; & maxima philosophorum pars propugnat. Sed ne verissimum alias dogma citra errorem omnem statueretur; in eo etiam lapsi sunt quamplurimi veteres, quod animam eo de capite dicerent immortalem, quod illam Dei, aut animæ universalis partem esse existimarent, in quam post mortem refunderetur: Ita Ægyptii apud *Jamblichum*, , & *Sykes* (f), Pythagorici, atque Platonici (g) Eamdem Stoicis doctrinam vindicat *Thomasius* (h), & *Bruckerus* (i), a *Virgilio Marone* assertam. Secundum *Bernier* eadem pariter est Doctorum Persarum, atque

(a) Vide *le Vayer* tom. 4. operum.

(b) De officio hominis & civis præf. pag. 31.

(c) Diction. hist. critique. A. Pomponace

(d) Vide quæ in Logica dicimus de hujus auctoris scepticismo.

(e) The necessity of revelation Londres 1739.

(f) *Iamblichus* de myster. Ægypt. cap. 8. §. 8. *Sykes* connexion de la religion. ec.

(g) Id probat *J. Christoph. Wolfius* Manich. ante Manich. p. 143. *Budæus* de Atheis. c. 3.

(h) *Thomas.* de Exustione Mundi stoica. diss. 21.

(i) *Bruch.* tom. 1. par. 2. l. 2. cap. 9. §. 1.

atque Indianorum doctrina. In eundem sensum recidit emanatio Cabbalistica animarum a Deo, aut anima universali a quamplurimis Hebræis asserta: ut nihil dicam de antiquis aliquot Christianis *Justino*, *Tatiano*, *Lactantio*, *Tertulliano*, *Synesio*, *Pseudo-clemente* (a), quorum sensus circa animarum originem non satis a prædicta emanatione videtur alienus.

563. Postremus tandem superest immortalitatis sensus; qui unus & auctoritate constat, & naturali ratione demonstratur, quod scilicet humanæ mentes, substantiæ quidem spirituales ab uno Deo creatæ, ea ratione sint immortales, ut a caussis naturalibus non possint destrui, a Deo nunquam sint destruendæ, genioque, atque indole sua æternum a Deo servari exigant. Habes palmares hominum errores, & quam tenere oporteat veritatem, atque propositionis sensum, quem sequentibus capitibus probamus.

564. 1. Quod humanæ animæ a naturalibus caussis destrui non possint, ex ratione substantiæ profluit. Mentem cogitantem non esse materiam, neque rei cujuscumque modum, sed veram esse spiritualem substantiam contra materialistas propositionibus superioribus confecimus: jam vero una nobiscum materialistæ universi conveniunt, quod materiam, aut substantiam quamcumque neque de novo efficere, neque etiam destruere caussæ naturales possunt: ad id sane creaturarum efficaciam non extendi in superioribus probavimus. Ex quibus omnibus plane consequitur, humanas animas cogitantes, atque altioris ordinis substantias, caussarum naturalium viribus spectatis esse immortales: omnes hujusmodi caussarum vires ad mentis nostræ creationem, conservationem, & destructionem non extendi. 2. Tota naturalium caussarum efficacia in compositis construendis, dissolvendis, phænomenis, effectibus: modisque rerum efficiendis, aut destruendis insumitur, ut fuse jam diversis in locis probavimus: mentem vero humanam substantiam cogitantem neque esse rei alicujus modum, neque diver-

(a) *Tatianus* oratione contra gentes pag. 146. *Justinus* dialogo cum Triphone. *Lactantius* lib. 2. cap. 13. *Tertullianus* lib. de anima cap. 11. 12. 41 *Synes.* hymno 3. *Pseudo Clemens* homilia 15. n. 16.

versarum particularum compagem, sed simplicissimam substantiam, contra materialistas confecimus: ex quo est, quod nisi explosum materialismum contra ipsum naturalis rationis lumen in animum inducas, animam nostram immortalem fatearis necesse sit. 3. Id præterea ulterius ex eodem capite contra materialismum urgetur: caussæ naturales, quas unas materialistæ agnoscunt, sunt corpora, seu materia: corpora nonnisi in corpora agere possunt: impulsione scilicet, resistentia, & impenetrabilitate agunt: nulla ex iis rationibus in spiritum agi potest. Rem non diffitetur materialista; eaque propter ut animarum mortalitatem statuat, spiritus omnes tollit. Semel igitur demonstratio, quod animæ humanæ sunt spiritus, id, quod superius confecimus, demonstrata pariter est humanæ mentis immortalitas 4. Caussæ naturales agunt impellendo, dividendo, componendo: ea sane ratione materiales omnes effectus, actiones, vicissitudo rerum peragitur: simplici substantiæ convenire ista non possunt. Hisce omnibus rite perpensis, duo hæc conficiuntur, humanam mentem & natura sua, & caussarum naturalium impotentia esse prorsus immortalem. Sed in prima hac propositionis parte, atque immortalitatis specie fusius probanda non immoremur: unus illam negat materialista, qui cogitationem, & vim cogitandi in materiæ subtilitate, motu, figura statuit; neque mentem cogitantem in materia aliqua secundum se spectata ponit, quæ in indole sua citra omnem modificationem cogitet. Cum homine ita statuente superius egimus. Quod si animam cogitantem materiam quamdam simplicem genio indoleque sua cogitantem adstruat; tum vero in sanam ille philosophiam verus materialista peccabit; naturalem tamen menti humanæ cogitanti immortalitatem non negabit, quam materiæ cuicunque concedit.

565. Agendi tamen ratio, atque operationes humanarum mentium propriæ, quas nos intima conscientia agnoscimus, intelligere, velle, ratiocinari, amare, odio habere, dubitare, imperio agere, & alia hujusmodi animam nostram hisce modis, agentem, illarumque operationum caussam, spiritum esse demonstrant. Nulla hujusmodi in corporibus animadvertimus: in nihilo plane corporum, & humanarum ani-

ma-

marum actiones conveniunt: convenire autem dicentur caussæ, dum nulla inter effectus intercedit analogia? Hæc omnia, si penitus considerentur; animam nostram spiritualem substantiam altioris longe ordinis demonstrant, in quam nihil omnino materiales caussæ agere possint; quod erat primum in propositione demonstrandum.

566. Secundum superest operosius, atque luculentissime probandum, quod totius rei cardo existit, animas scilicet humanas, substantias spirituales cogitantes & priora indole a Deo accepta, & supremi etiam Numinis voluntate in æternum permansuras; aliamque proinde vitam nunquam finiendam mortales omnes post mortem manere. Qua quidem in parte materialistis parumper prætermissis, cum Diistis quamplurimis iisque omnibus rem agimus, qui humanam speciem cum cæterorum animantium speciebus confundunt, eorumque conditionis participes nos esse statuunt: nihil interim solliciti, sit necne mens humana spiritus, an materia. Duplex est ad rem probandam via, *ratio*, & *auctoritas divina*: quarum prima omnium philosophantium est, credulos æque, atque incredulos convincit: posteriori credentibus persuademus: contra incredulos vero tum solummodo ex auctoritate argumentari efficaciter possumus, si primo revelationis existentiam evidentia morali probemus. Sunt, qui sola auctoritate solis factis agendum esse existiment. Nostri instituti est, ratione potissimum agere. Potissima capita animæ immortalitatem probantia in Physica viventium indicavimus, & modo susius prosequemur.

567. I. Humanas animas a Deo creatas esse immortales, illa primo indicat idea humanis mentibus peculiaris, ne dicam innata quam habemus de Deo. Eam scilicet Numinis ideam habemus, qua illud non modo necessario existere, sed etiam rerum omnium esse universale, & unicum principium, & finem infinite bonum, & beneficum tenemus. Hujusmodi, inquam, idea, atque clarissima cognitio, quæ in cæteris omnibus animantibus ad materialia solum objecta intentis desideratur, non modo humanas mentes alterius generis, atque sublimioris ordinis, quam bruta animalia quæcumque sint, demonstrat, verum etiam nos ad infinitum illud Numen, Principium, atque

que finem æternum agnoſcendum, adorandum, colendum, amandum creatos oſtendit. Jam vero animas ſpirituales, cogitantes, Dei cognitione præditas, Numen cognoſcentes, colentes, adorantes, amantes, atque ad omnia ejuſmodi a Numine ipſo creatas, in nihilum tamen a Deo ipſo eſſe redigendas, per ſummæ, atque infinitæ beneficentiæ ideam ſtare poſſe? In nihilum mentem cogitantem iterum redigi, omnium phyſicorum malorum exiſtit maximum, & infinitæ Beneficentiæ oppoſitum.

568. 2. Eandem veritatem pari ratione probat naturalis illa, atque innata noſtrimet cogitantium averſio, atque horror, quibus propriam deſtructionem, & in nihilum iterum reverti natura ipſa abhorremus. Hanc proculdubio indolem habemus a Deo. Deſtructionem hujuſmodi agnoſcimus poſſibilem; cognitam vero naturali horrore averſamur: extremum malum naturæ ipſius dictamine judicamus, ad ejuſmodi ideam horreſcimus. Omnium ergo Materialiſtarum, atque Diſtarum fidem appello: Sectæ præjudicia parumper deponant, aut iis diffidentes, ſibique ipſis relicti, naturæ fundum per otium meditentur. Eademne animi indifferentia te netipſum in nihilum, aut in vile lutum redigi, qua æternam vitam mente concipis? Unde eſt, quod in vivis eſſe, quamdiu poſſumus, ſummopere adnitimur, nulliſque ad vitam ſervandam curis, atque diligentiæ parcimus? Hic ſane eſt omnium hominum naturalis genius, omnibus generatim brutis animantibus communis. Mortem, ut commune malum, animantia omnia abhorrent, fugiunt, vitamque perennare ſtudent. Quodſi homines aliqui extitiſſe dicuntur, qui philoſophica mente, & perfecta animi indifferentia mortem adſpectaſſent; ii ſane de animarum immortalitate convicti, humanarum rerum, atque vitæ calamitatibus introſpectis, & profundiſſime meditatis, præſentem hanc miſeriarum vitam cum feliciori ſeſe commutare ſperabant. Hæc omnia, & quæ modo ulterius dicemus, ſi rite prependantur; inditum quoddam in nobis immortalitatis deſiderium demonſtrant. Poteſtne vero in objectum per ſe falſum, impoſſibile, aut nunquam futurum innatus totius naturæ amor, atque deſiderium tendere? Inutiliane, atque inania vota a natura, hoc eſt, a naturæ auctore eſſe poſſunt?

569.

569. 3. Illud præterea, quod in nobiſmetipſis animadvertimus, & intima conſcientia experimur, innatum, atque inditum a natura ad Deum, tanquam ad finem noſtrum ultimum tendendi deſiderium, propoſitionem probat. Facti veritatem unus ille in dubium vocare poſſet, cui in mentem nunquam venerit ſupremum aliquod hujuſce uuiverſitatis rerum principium, rector, Numen, a quo originem ducamus creaturæ omnes, earumque regimen pendeat. Ipſos ego Diiſtas, atque Materialiſtas, eorumque fidem appello. Teſtes ii reliquis omnibus philoſophantibus erunt, innatum illud, quod dicimus, deſiderium nequaquam in nobis eſſe ab infantia, religione, aut gente præjudicium. Ipſum ego *Spinoſam* mortem jam proximum (*) atheiſtam illum a Domino *Dorell* relatum, ipſique amicum appello (**), atheiſticas enim vero altioris ordinis animas ex ſubtiliori aliqua materia, ut volebant, compactas. Quod ii homines ſibimetipſi relicti, a Mundi jam illecebris liberi earumque ulterius perfruendi ſpe deſtituti inſeſe tandem prodidere deſiderium, ne per ipſos quidem præjudicium dicere licebit.

570. 4. Sed innatum hujuſmodi immortalitatis, atque ad Deum, tanquam ad finem ultimum tendendi deſiderium, & noſtra hominum immortalis conditio ex illo ulterius probatur, quod mentes, animique hominum, cujuſcumque tandem conditionis ſint, in huma-

---

(*) Spinoſa morti proximus neminem admiſit, ſæpeque in hæc verba prorupit, *O Deus, eſto mihi peccatori propitius*. Ita a celeberrimo viro rem accepiſſe teſtatur *Franciſcus Halma* in præf. vit. Spin, apud J. Chriſtoph. VVolf. Bibliotheca Hebræorum. P. I. pag. 240. Famoſus alter Spinoſæ diſcipulus ingenio, & doctrina clarus, Domino *Nieuventit* bene notus, cum poſt atheiſticam vitam eorum more vellet etiam mori, diu in ultima infirmitate tranquillus in hæc tandem verba prorupit, omnia ſe modo credere, quæ prius negaverat, tempus tamen ſperandæ miſericordiæ tunc non eſſe. Nieuventit l' exiſtence de Dieu diſc. prelimin.

(**) Vide librum *The Genthlement Inſtructed*, cujus auctor miſerabile illud factum refert.

manis mundanis materialibusque rebus universis, illecebris atque oblectamentis omnibus perfruendis sint semper irrequieti. Hæc omnia humano animo nunquam satisfaciunt; nullis terrenis rebus nostra explentur desideria: quibuscumque tandem fruamur, aliquid semper desideramus. Rem ego longa oratione, aut ratiocinatione non prosequar. Si corda hominum, si te ipsum non ignoras; communem hanc mortalium conditionem non inficiaberis. Bene est: duo igitur hæc insimul experimur, esse humanum animum in rebus semper terrenis irrequietum, ad altiora semper, quæ in hoc mundo non sunt, inhiare, ad Deum, cujus ideam habemus, tanquam ad ultimum nostrum finem, atque centrum, perpetuis aculeis nos semper a natura agi, instigari, excitari. Duo vero hæc, quin animi nostri natura sua ad immortalitatem tendant? Si ad terrena tantum perfruenda nati existeremus; ea tum vero naturalia nostra vota explerent, in iis, tanquam in ultimo fine acquiesceremus, nihil ultra esset, quod inhiaremus: dum ergo contraria omnia experimur; non ad peritura hæc mundana objecta, non ad præsentem brevissimam vitam, sed ad Deum, ad alium mundum, ad immortalitatem nos esse a Deo destinatos ostendunt.

571. 5. Continua etiam illa, quæ nos semper angit, de futura post mortem sorte solicitudo, atque inquietudo, quæ mentem identidem, atque animum vividissime quasi pungunt, nosque etiam male feriantes excitant, torquent, naturalis nostræ immortalitatis argumentum sunt. Facti veritatem nullus in dubium vertit. Esset ne vero illud infantiæ educationis, gentis, aut religionis præjudicium? At nisi id esset humanæ animæ a Deo inditum, & purum naturæ opus; arte tandem, studio, laboreque nostro elideretur, atque radicitus extirparetur. Summa hæc votorum est materialistarum omnium, atque Diistarum: eo collineant operosæ eorum meditationes, & omnia sensuum oblectamenta: mentem consulto, atque animum ab atra illa, & mordenti cura ad amœniora semper avertunt: perperam tamen inflicto a natura vulneri quæritur remedium: *hæret semper lateri lœthalis arundo*: *& post equitem sedet atra cura*, ut ethnicorum etiam poetarum testimoniis ad rem nostram facientibus utar. Hæc cum ita sint; ejusmodi tamen cu-

curam inter præjudicia numerari qua tandem ratione poterit?

572. 6. Eodem tendunt, idem probant innata illa bonorum omnium spes, atque improborum timor. Nullus mortalium est conscientia purus, atque moribus innocens, qui melioris vitæ felicitatem post mortem non speret, eaque beatæ immortalitatis spe ad ulterius semper in comparandis virtutibus progrediendum non incitetur. Cujuscumque religionis homines, Christianos, Hebræos, Mahometanos, Paganos considera: eodem omnes mentis dictamine agi comperies. Eum sane hominum sensum in cujuscumque gentis, atque sectæ libris, & auctoribus cum antiquis, tum recentioribus legimus. Pari etiam ratione improborum omnium timorem, & præsentem semper atque molestum conscientiæ stimulum observamus. Ab acutissimo hoc animorum aculeo, & agente semper stimulo nullus pyrrhonismus, Diismus, atheismus, aut materialismus liberare homines potest: communi aliorum hominum sorti, & conditioni ii etiam subjiciuntur, qui hujusmodi dogmata re, aut specie profitentur: pura igitur hæc sunt naturæ argumenta, & testimonia nullo præjudiciorum contagio infecta. Nulla hic partium studia, affectus, rationes interveniunt.

573. 7. Tria hæc religionis naturalis capita, & fundamenta, *Providentia*, *Justitia Numinis*, *humana libertas* ulterius propositionem confirmant, & aliam post mortem superesse vitam demonstrant. Est scilicet Deus humanis rebus providens, justus remunerator: homines vero liberi nascimur, cultuque, atque actionibus nostris aliquid apud Deum meremur, aut demeremur. Singula hæc suis in locis demonstramus, eaque impræsentiarum jure ponimus. Æqua humanarum actionum meritis, atque demeritis danda tandem esse a Numine præmia, aut supplicia, Dei remuneratoris & justi idea dubitare non permittit. In præsenti sane vita, quamdiu mundo fruimur, quem *Deus tradidit disputationi eorum*, qualem in pænarum, atque præmiorum, distributione inæqualitatem, merito, atque demerito nequaquam respondentem non demiramur? Justum Deum! visis sæpe improborum, atque scelestissimorum hominum fortunis, & gloria, bonorum calamitatibus & miseria, justum Deum exclamamus. Humana omnia

nia fluere, scænam absolvi, quin exacta meriti atque demeriti habeatur ratio, omnia ad æqualitatem & justitiam exigantur, per infinitam remuneratoris Dei justitiam & Providentiam dicere non permittitur: præsentem absolvimus scænam, e vita egredimur, quin justam illam rerum bilancem, & remunerationem videamus. Nonne hæc aliam nos vitam manere ad præsentem mortalem vitam fruendam nequaquam nos a Deo fuisse conditos, animasque nostras post mortem superesse demonstrant? Longe alia est brutorum animantium conditio: hæc pro iis non faciunt argumenta: nulla in iis actionum libertas, neque spiritum aliquem, neque Deum cognoscunt, nihil in iis meriti, aut demeriti esse potest: in brutis proinde animantibus locum non habent principia illa, atque data, *meritum*, *libertas*, *religio naturalis*, unde totum deducitur argumentum. Aut inæqualem pœnarum & præmiorum distributionem in præsenti vita, aut hominum libertatem, Numinis Providentiam, religionem naturalem neges; aut argumento succumbas, & animarum immortalitatem admittas, oportet. Quis tamen hæc in dubium vertat? Primum ipsamet quotidiana omnium hominum, temporum, & locorum experientia docet. Nostramet etiam de ante acta vita, honestis, aut turpibus actionibus, patratisque sceleribus conscientia nos admonet, aut bene quidem nobis esse post corporum dissolutionem sperandum, aut non parum nobis superesse post mortem luendum. Alia in argumento posita in loco sunt demonstrata.

574. Hoc sane argumento vita futura demonstratur: probaturne tamen æterna? Quid? nisi æternam hominibus probis, aut improbis vitam, felicitatem, aut miseriam decernat Deus; æqualia humanis actionibus præmia, aut pœnas statuere non poterit; omniaque tum bonorum, tum malorum facta exacte compensare, & ad æqualitatem redigere? Ex solo igitur Justi, atque remuneratoris capite non satis confici videtur humanarum animarum immortalitas: contra ac philosophi communiter, nominatim vero statuit *Leibnitius* (a) Ita sane ego postremam hanc rationem meditando mihimetipsi argumentabar, & rationem ratio-

(a) *Leibnit.* epist. 16. vol. 2. epistolarum.

tione, philosophiam philosophia solvere adnitebar. Philosophum enim impræsentiarum agimus; cum philosophis tantum rem habemus: quid Divina auctoritas in hisce rebus valeat, non ignoro. Respondeo. Sola ratione philosophando, sequentia habeo: 1. Animam humanam a nulla caussa naturali posse destrui, esseque proinde, quantum ad ejusmodi caussas spectat, prorsus immortalem. 2. Justi remuneratoris ideæ, atque notioni insistendo, ex eoque Numinis attributo argumentando habemus, aliam nos manere vitam post dissoluta corpora incipiendam: quæ duo potissima illa sunt, quæ a Diistis, aut materialistis maxime negantur: alterius vitæ idea illos maxime turbat cætera omnia non æque sollciti. Nobis tamen hæc satis minime existunt. Alia nos manet vita, alius rerum ordo, in quo perinde ut in præsenti unius Dei esse poterit substantias quascumque creare, aut in nihilum redigere: ab uno igitur Deo in nihilum redigi humanæ animæ in futuro sæculo possent. Id vero a Numine circa illos humanos spiritus fieri, a quibus cognoscitur amatur ut de bonis modo tantum loquamur, nihilo offenditur, quos Numen ipsum natura genio indole immortales creaverit innato immortalitatis desiderio spe timore donaverit, ad se ipsum cognoscendum amandum fruendum condiderit: hujusmodi, inquam, spiritus in nihilum redigere, per infinitam Numinis Bonitatem, atque Providentiam opinari non licet.

575. 8. Generalis tandem universarum gentium consensus invictum nobis suppeditat asserendæ immortalitatis argumentum. Duo hic distinguenda sunt: 1. Universalis consensus existentia: 2. ejusdem consensus pondus, atque ad rem probandam momentum. Utrumque brevissime statuit *Tullius*: *permanere animos arbitramur*, inquit *Cicero*, *consensu nationum omnium* (a): *omni autem in re consensio omnium gentium*, pergit, *lex naturæ* putanda est (b). Primum ita ego omnibus notum pono; ut hoc tempore, cum omnes fere terraquei globi nationes, eorumque religionem, mores, sensus agnoscimus, inter historica *data* recensendum esse existimem. Quantum vero uni-

(a) Tusculanarum 99. lib. 1. cap. 12.
(b) Ibidem cap. 13.

iversali huic omnium hominum consensui momen-
m, atque pondus insit, fuse superius demonstravi-
us. Atque hæc sunt efficaciora illa argumenta. quæ
animarum nostrarum immortalitatem demonstran-
m naturalis ratio, & pura philosophia suppeditant.
576. Contra humanarum animarum immortalitatem
quentia opponunt increduli, Materialistæ, Diistæ.
Anima inquiunt, est substantia materialis aut
iam materiæ modus; quibus sane immortalitatis
tio convenire non potest. Quid enim? Ad id pro-
ldubio deducit Cartesianismus: ab imperfectissimo
mum animantium incipiendo, singulasque brutorum
ecies ad perfectiorem usque perlustrando, nil nisi
ras machinas, puram putamque materiam secun-
m omnes Cartesianos deprehendimus: quidni igi-
r parem etiam nostram hominum conditionem, for-
n, & naturam dicemus? Hoc argumentum ulte-
is modo non promoveo; cum id luculentissime in
ysica Viventium prosequar, quo in loco Cartesia-
mum circa brutorum animas præter potissima alia
gumenta ex hoc etiam capite rejicio, quod hujus-
odi doctrina ad Materialismum, & Atheismum de-
cere videatur. Quare respondeo: nihil in nos eo
gumento agi posse, qui totum argumentum nega-
is. Cartesianis bruta omnia animantia puras esse
chinas statuentibus melior alia non suppetit ad
imæ nostræ immortalitatem probandum via, quam
ina auctoritate agere. Nonnulla etiam ex adductis
perius argumentis, quæ pro humanis tantum ani-
bus faciunt, brutis vero nequaquam conveniunt,
rtesianis philosophis responsionis loco erunt: hu-
modi sunt libertas, innatum immortalitatis desi-
rium, timor, spes, idea, & cognitio Dei, atque
igio naturalis, quæ omnia in brutis non existunt.
577. Esto, perget Materialista, seu incredulus Di-
a, id beneficii a rejecto Cartesianismo referamus;
charybdim tamen incidimus: alia via laqueis
etimur. Animantium brutorum animas poni-
is primo quidem substantias: atque ex hoc capi-
, perinde ut materia, & substantiæ reliquæ, a na-
ralibus caussis destrui non possunt: secundo vero
dem animas aut spiritus aut substantias quasdam
er spiritum, & materiam medias statuimus. Ni-
ominus hujusmodi animæ non sunt immortales:

A a 2 quid-

quidni idem pariter de humanis tenendum? Respondeo : Hoc argumentum in Physica Viventium jam diluimus: eo loco dicta paucis recolo & aliqua ulterius superaddo. Brutorum animæ sunt procul dubio substantiæ sentientes: & hinc nullarum caussarum naturalium vi destrui, in nihilum redigi, aut etiam effici, seu creari possunt: quod quidem & materiæ, & cuicumque alteri substantiæ commune est: primam igitur hanc habent impropriam, atque in præsenti quæstione non agitatam immortalitatis speciem *a caussis naturalibus non posse destrui*. Quod hanc immortalitatem attinet, pares inter se sunt animæ brutorum, atque materia: æque in utriusque proponi potest argumentum: hic tamen non est quæstionis sensus, atque humanarum animarum immortalitas. Si aliam præterea de spiritu humano demonstravimus, quæ nullo ex capite aut materiæ, aut brutorum conveniat; rem confecimus, argumentum diluimus. Quantumvis scilicet brutorum animæ, aut immateriales substantiæ, aut etiam imperfectissimorum ordinum & generum spiritus esse statuantur; habetne materia, aut bruta animantia supremi Numinis cognitionem, religionem naturalem, justi, rectique amorem, libertatem, actionum meritum, & demeritum? Innatumne habent immortalitatis amorem, alterius vitæ desiderium, futuræ sortis spem, timorem, sollicitudinem? Estne in brutis irrequietus semper in materialibus rebus fruendis animus, communis eorum immortalitatis sensus, innatus in Deum semper, tanquam in ultimum finem tendendi instinctus, indoles, genius? Suntne in brutis animantibus erga Deum religio, cultus, moralia merita, & demerita, meritorum; & præmiorum, demeritorum, atque pænarum inæqualitas, & non satis exacta distributio?

578. At hæc illa sunt capita, ex quibus humanarum animarum immortalitatem probamus: si hæc in mente humana desiderarentur; nullus esset philosophus, qui sola ratione ductus immortales nos esse diceret; quamtumvis animas nostras substantias spirituales esse demonstraret. Unum id tantum modo affirmaret, humanas mentes a nullis materialibus caussis posse in nihilum redigi: illa omnia in brutis animantibus desiderantur, in unis hominibus animadvertuntur, atque intima conscientia probantur: ex quibus

us omnibus est, quod humana ratio, naturalisque hilofo hia immortalitatem in sensu propositionis aceptam humanis quidem spiritibus, non belluarum nimabus convenire adstruit. Quæ tamen est animarum rutorum viventium sors, repones? Quæsito in Phyca viventium facimus satis, in quem locum lectorem remitto.

579. Sequentia præterea opponunt contra humanam mmortalitatem increduli Diistæ. Animæ nostræ a orporibus dependent, una cum illo perficiuntur, innium, memoria, judicium insimul cum corpore viscit, debilitatur, senescit. Animæ nostræ corporum gritudinibus subsunt, ab iis afficiuntur; Istane ve, quin in animas omnes etiam nostrorum corporum firmitates, vicissitudines, dissolutio, mors spectent? espondeo: Si hæc objectio aliquid difficultatis habet; fateri etiam opus esset, animas crescere, iminui, pinguescere, macrescere, debilitari, convaleere, nutriri, similiaque alia corporis munera aniabus ipsis convenire: quod ne incredulus quidem illa admittit, & superius falsum esse demonstraviis. Quæ in argumento adducuntur, non animam, sed præsentis illarum status conditiones exint: nihil hujusmodi in anima esset, nisi illa in rpore viveret: sibi ipsi commissa nihil hujusmodi paetur. Quod tamen intra corpus unionis, atque mmercii lege existat, ejusque actiones ab organom corporis directione pendeant; organa ipsa, eomque status illud unum est, cujus ratione animæ do melius, modo pejus functiones intra corpus exeat.

COROLLARIUM.

580. Ex iis; quæ tota hac propositione disseruiis, luculenter patet, quamnam agant caussam ineduli Diistæ, qui futuram vitam, atque propriam mortalitatem negant: quanam veritatis, & pruntiæ specie ducantur. Uni scilicet rationi, ate philosophiæ insistendo, hæc duo confecimus: *pri*, increduli scrupula evidenter solvimus, & vanisia esse ostendimus: *secundo*, morali saltem eviden nostram animarum immortalitatem, ac futuram am demonstramus. Ex una igitur parte ne mini-

 ma

ma quidem probabilitas, ex alia vero illa est rationum evidentia, illud argumentorum pondus, quod ne increduli quidem ipsi discutere unquam possunt; quantumvis omnes ingenii vires acuant, intendant, producant, præjudiciis reluctentur, & in oppositam semper partem animam, mentemque inflectant. Quidquid conentur, meditentur, agant; eo semper veritatis, atque immortalitatis timor agitat, turbat, torquet, & pacem secum ipsis habere non permittit. Mentis aciem, vimque omnem intendant, ut in sese bestiarum conditionem, & privilegia transferant, earumque conditionis participes efficiantur; inter bonum & malum non distinguant, nihil post mortem sperent, timeant, velint, ament, suimet destructionem desiderent, in nihilum in chaos iterum redigi ament; quidquid tamen agant, ut sese nobiliores tantum bestias esse sibimetipsis persuadent; nihil proficiunt: in reclamantem semper naturam blatterant, timorem nunquam deponunt, bonum, & malum nolentes distinguunt, destructionem desiderantes horrescunt, chaos horrent, timent, sperant, Numinis ideam, & conscientiam inviti semper habent. Hæc cum ita sint, ingenue ii nobis fateantur, estne aliqua veritatis in suamet incredulitate species? aliquidne ad immortalitatem negandum produci in medium potest philosophanti homine dignum? Si hæc ita sunt; si omni veritatis specie increduli destituuntur; prudentisne hominis est, evidentiæ semper opponi; ut post vana phantasmata sequamur? Res maximi momenti inter nos disceptatur. Si *credentes* fallimur; nulli periculo post mortem exponimur, nihil erimus: si in nihilum increduli una nobiscum credentibus redigentur, nullus erit, a quo post mortem irrideamur. Quod si contra decipiuntur increduli; quænam illos post mortem maneant mala, irrisiones, miseriæ; quibus periculis exponantur, ipsimet increduli vident, atque fatentur. Si noster credentium esset error; esset tamen ille gratissimus, quo nosmetipsos a communi animantium sorte liberaremur, & alterius longe conditionis nos esse crederemus humanæ speciei conditionis, immortalitatis, & amplissimi privilegii defensores, ac vindices: contra vero, si incredulus falleris; errore ingratissimo versaris, totius humanitatis, omnium hominum infensissimus hostis. Si igitur con-

contra rationem agis, evidentiæ contradicis, naturæ dictamina contemnis, communi hominum sensui valedicis; si variis tantummodo dubiis duceris; iisque unice innixus aut æternam tibi miseriam statuis, aut tuammet naturam, & conditionem a nobilissimo substantiæ cogitantis spiritualis, atque immortalis gradu ad vilissimam brutorum animantium sortem dejicis: esne vero in tuo philosophandi sensu prudens, & veritatis amans? Negativo tantum argumento caussam tuam agis: evidenter mihi non probatur, inquis, humanarum animarum immortalitatis; summus ergo mortales, nihil post mortem sperandum manet, aut timendum. Etsi hujusce argumentationis principium, unde consequens deducitur, daretur verum; perperam tamen ex argumento illo negativo hominum mortalitas deduceretur. Utrumque hoc stare potest, humanas animas esse immortales, quin tamen hujusmodi immortalitatem demonstrare possemus. Sed præterquam quod huc usque dicta rem luculenter conficiunt, præsens quæstio hujusmodi est, eaque ratione proponi debet, ut utrique parti probandi munus incumbat: universi homines morimur, moriturne tamen una cum corporis dissolutione anima? probaturne animam humanam reapse dissolvi, an potius opposita omnia demonstrantur? Quæstio hoc modo opposita philosopho materialistæ probandi partes defert. Quid tum vero? Nihil in medium producit incredulus; credenti vero ratio, natura, mores, omnia favent: quænam ergo secundum criticæ, & prudentiæ regulas ferri, atque probari sententia potest, aut debet?

PROPOSITIO XII.

581. *Humanam mentem esse puram cogitationem, aut semper cogitare, non constat.*

In hac propositione nihil nobis est cum materialistis, aut aliis non modo religionis, sed sane philosophiæ hostibus, quibuscum in superioribus disputavimus. Quod modo in quæstionem vocamus, purum est philosophorum dissidium, quod innocue pro utraque parte teneri potest, quin aliquid contra religionem naturalem, aut rationem committamus. Cum anima

nostra sit spiritus, substantia cogitans; de illa impræsentiarum, utrum semper cogitet, a philosophis quæritur. Quæstionem primus omnium, quem sciam, proposuit *Cartesius*: quo auctore anima semper cogitat. Idem cum *Cartesio Leibnitius*, & non pauci alii tenent: dum ex adverso qui Cartesiani non sunt, animam humanam semper cogitare inficiantur. Cartesiani igitur eo quod mentem nostram substantiam esse cogitantem, & activam, ab omnibus statuatur; illam semper agere contendunt: spiritus autem cogitantis actus, atque *agere* aliud esse nequit, inquiunt, præter cogitationem: semper igitur cogitat animus: a primo creationis momento, in ventre etiam materno, dum dormimus, distrahimur, deliquio corripimur, semper cogitamus; quantumvis postea cogitationum iis temporibus, feriantibus sensibus, habitarum non recordemur. Quamdiu, inquiunt, mortali hac vita intra corpus existit anima, eorum tantummodo recordatur, quæ per sensus accipit: hæc est præsentis vitæ conditio. Profunde tantummodo in anima nostra imprimuntur, quæ mediis sensuum organis ad animam usque perveniunt: cætera, quæ spirituum more percipimus, nullam in nobis sui speciem, & memoriam relinquunt: anima tamen ipsa a corpore tandem liberata, sibique tantum permissa, quæcumque olim, feriantibus sensibus, cogitaverit, in memoriam iterum revocabit. Cartesianorum igitur sensu anima humana (liceat materali rudique exemplo rem spiritualem exponere) agentibus quidem sensibus, veluti facula ardens spectari potest; quamdiu autem sensus feriantur, ipsaque intra corpus ab externarum rerum commercio separata existit, velut inflammatus quidam carbo cineribus coopertus ad objecta illuminandum impeditus, neque in illa agit, neque ab iis afficitur; interim tamen intimo semper lumine flagrat. Anima enim, inquiunt, est purus actus, purum agere; mens cogitans, activa percipiendi facultate, prædita, objecto suo, hoc est, sibimet ipsi semper præsens, quo tandem pacto fieri posset: ut se ipsam non semper perciperet, non semper cogitaret?

582. Opposita omnia statuunt cæteri communiter philosophi: eaque potissimum ratione ducuntur, quod nullum plane sensum, nullamque perennis nostræ cogita-

gitationis memoriam habeamus. Internæ illius & nunquam interruptæ cogitationis, qua anima nostra in materno utero, inter dormiendum semper cogitet, nullum in nobis vestigium, memoria, experimentum. Quanam igitur ratione animam semper cogitare affirmabimus? Rem sane adstrueremus, quam nisi probemus, in philosophiam ipsam peccaremus: omnia autem hic desiderantur fundamenta ad rem suadendam necessaria. Est equidem per nos etiam mens humana substantia spiritualis, activa, cogitans: satisne tamen id unum est, ut animam semper agere, semper cogitare affirmemus? Unde probabitur activam hujusmodi cogitandi potentiam nullo obstaculo a cogitatione impediri posse? Activum sane est tensi arcus elaterium: sæpe tamen fit, ut omnis ejus actio impediatur. Quid? Similia pariter de rebus etiam spiritualibus affirmari non poterunt? Quamdiu saltem oppositum non probetur, dum nullam perennis nostræ cogitationis memoriam, sensum, argumentum habemus; illam potius aliquando etiam feriari, ad id muneris a corporis organis dependere, adjuvari, impediri adstruemus.

583. Si omnia hæc utriusque partis momenta perpendamus; liquido apparet, neque a Cartesiano philosopho satis probari, animam semper cogitare; neque etiam oppositum ab aliis evinci. Debilia sunt, quæ pro utraque parte adducuntur argumenta, & ad rem obscurissimam suadendum satis esse non possunt. Unum illa omnia efficacissime demonstrant, animam semper cogitare, aut ipsammet esse cogitationem, nulla ratione probari; quod unum in propositione affirmamus.

LECTIO II.

De statu Animæ in Corpore, unione inter corpus, & Animam: atque unionis consequentiis.

§. I.

Annotatio historica circa Philosophorum opiniones.

584. Animæ humanæ naturam in se se spectatam hucusque consideravimus; quid de illa, ejusque origine sana Philosophia doceat, tenere possit, & debeat; qua potuimus brevitate & efficacia exposuimus, quantum & argumenti obscuritas, & nostrarum cognitionum in præsenti statu tenuitas permittunt. Anima ipsa diversos habet status, præsentem nimirum, in quo corpori organico unita existit: futurum alium, quo vel à corpore separata, vel illi à mortalitatis exuviis jam libero iterum copulata vitam vivet futuro sæculo immortalem. Ab exposita etiam humanæ mentis natura duplex ejusdem Animæ effluit proprietas; *intelligere*, & *velle*, quæ pro utroque statu Animam semper comitantur. Postquam igitur rei veluti fundum perpendimus; quænam ex illo fundo pro utroque Animæ statu enascantur proprietates, deinceps philosophando aggrediemur. Quid rei sit præsens Animæ status, quæ ab ejus unione cum corpore consequantur, modo perpendamus, indicatas mentis proprietates postea discussuri. Sequentia potissimum capita in hac lectione sunt examinanda. 1. veritas, atque modus physicæ unionis Animæ cum corpore. 2. Quænam in corpora agat Anima, spiritus scilicet in materiam, quid vicissim in Animam corpus; quænam Corporis functiones ab Anima dependeant, quanamve ejus vi peragantur. 3. Estne præter rationalem Animam in humano composito alia inferioris ordinis, cujus tantum ope sentiamus; anima vero spiritualis altioris tantum ordinis actus intelligere, velle, & hujusmodi alios exerceat? In quanam demum nostri Corporis parte mens humana existit?

585. Sedem animæ, ut ab hoc ultimo incipiamus, alii aliam in Corpore statuere. Peripatetici Animam per totum corpus diffusam, & extensam existere conten-

tendunt. Hæc eadem est totius vulgi opinio communi præjudicio fundata, & ex sensibus per totum corpus elicitis deducta. Cartesiani contra Animam in pineali tantum glandula locatam esse voluerunt. Sensum nostrum in obscurissimo argumento in physica viventium exposuimus, & relata utraque Peripateticorum; atque Cartesianorum sententia rejecta, duo hæc statuimus: 1. Animam humanam procul dubio in cerebro, seu capite existere: 2. Nullum esse physicum argumentum, quo animam per totum corpus diffundi probetur; 3. Quod attentis experimentis, atque humani corporis anatomia, Animam in solo capite existere appareat: utrum vero in toto cerebro, an in aliquibus tantum capitis partibus Anima existat, nulla nobis ad definiendum data, experimenta, rationes suppetunt. Quatuor hisce capitibus citato in loco probatis, nihil est; quod modo superaddendum existimemus.

586. Animam corpori unitam esse, quoad vivimus; ejusque unionis ope aliquam esse inter Animam, & corpus mutuam actionem; in corpus nimirum agere Animam, & a corpore similiter multa pati, communis semper omnium hominum sensus fuerat; quoad tandem *Leibnitius*, *Wolfius*; & aliqui eorum sectatores omne inter animam & corpus, spiritum & materiam commercium sustulere, unionem physicam negarunt, nihil in corpus agere Animam, & nihil ab illo etiam pati statuerunt. Miram solummodo inter animam & corpus actionum harmoniam adstruunt, quam *harmoniam præstabilitam* a Deo nuncupant, qua quidem secundum eos auctores taliter a Deo creata sunt Animus, & corpus; ut quin in se mutuo agant, omnia in nobis peragantur. Sed penitius eruditas hasce fatuitates explicemus: Cum vero inter corpus & animam physica unio, commercium, & actio difficillimus ille sit nodus, quem nullus mortalium in præsenti vita solvere, atque intelligere potest; rem tamen pluribus modis tentarunt: quæ hucusque circa obscurissimum argumentum philosophi in medium protulerint, ad sequentia rediguntur capita. Peripatetici; ut dixi; Animam per totum corpus diffusam adstruentes, veram illam esse corporis energiam, vim, animam; inter ipsam & corpus actionem mutuam physicam intercedere adstruunt. Eum sensum apud citatos aucto-

auctores passim leges: neque aliam ipsi animam in homine, agnoscunt, quæ media inter corpus, & spiritum existat, atque ad sensum inserviat. Contra vero Platonici olim sensitivam illam animam mediam tenebant, cujus vi sensus, & vita propria perageretur, animæ vero rationali eam tantum committebant provinciam, ut corpori præsideret, dirigeret, spiritualesque functiones ageret. Quod animam sensitivam spectat, illam etiam aliqui tenuerunt Peripatetici, ut doctus *P. Honoratus Fabry* (a). Relatam Platonis opinionem (b) nostris hisce temporibus amplexi sunt *Gassendus*, *Cudvvorth*, *Le Clerc* (c), & alii. Viam inter Platonicos, & Peripateticos mediam arripuit Cartesius: animam illam sensitivam Platonis non admittit, omnemque sensum animæ rationali attribuit; eam tamen in sola glandula pineali collocatam voluit; unde mediis spiritibus animalibus corpus movet, atque proinde in corpus agit: quocumque modo hujusmodi actio explicetur, & peragatur. Fuere tamen, & sunt etiam modo inter Cartesianos aliqui, *Malebranchius*, *Regis*, & alii, qui nullam inter animam, & corpus, nullam alterius in alteram actionem admittunt. Nihil in Corpus agit anima, inquiunt, nihil vicissim in animam Corpus. Animæ ideæ atque actus pura tantum occasio sunt, qua posita, secundum animæ cogitationes motus in corpore efficit Deus, & vicissim occasione motuum atque affectionum quarumcumque in corpore ita animam Deus afficit, ut respondentes in anima cogitationes eliciantur: atque hoc celebre illud est caussarum occasionalium systema communi hominum sensui penitus oppositum, quo omnis inter corpus, & animam unio, & commercium tollitur.

587. Nullum secundum hanc hypothesim verum commercium inter animam & corpus est; sed apparens tantum actio, re autem vera harmonia actionum; quæ quidem non ab anima, aut corpore, sed a solo Deo in anima, & corpore fiunt. Hæc vero est constans Dei lex: ad datos motus in corpore respondentes in anima ideas, cogitationes, volitiones producit Deus; ad

(a) De homine, prop. 41.
(b) Plato in Alcibiade, & Phedone.
(c) Biblioteq. Choisie tom. 2.

ad singulos etiam actus, cogitationes, voluntates in Anima existentes respondentia phaenomena & motus in corpore a Deo efficiuntur: Corpus igitur, & anima purae sibi tantum occasiones sunt: ad ictum in corpore impressum doloris sensum, aliosque actus dolores subsequentes, aut comitantes in anima producit Deus. Similiter ad datos in anima mentis, aut voluntatis actus, quibus certa quaedam objecta & motus anima velit aut nolit, respondentes in corpore motus a Deo producuntur. Quod de anima, & corpore ad se mutuo relatis dicunt; de omnibus corporibus generatim intelligunt: nihil ab iis agitur, purae tantum occasiones existunt.

588. Longius adhuc ab unionis systemate Leibnitius, & Wolfius recesserunt: qualecumque id etiam caussae occasionalis munus animae, & corpori inficiantur: nullum commercium unio occasio sibi etiam sunt anima, & corpus; neque Deo sunt ad agendum occasio, neque Deus caussae hic munus agit. Anima, & corpus, quin in se mutuo aliquid agant, duae sunt caussae, nullo pacto inter se connexae; quae secundum propriae naturae genium quamdam actionum seriem consequenter & ordine elicient; quin unum agens aut illius actionum series ab altero agente, & illius serie pendeat. Harmonice tamen, seu ad unisonum duplex illa actionum series, anima & corpus attemperata sunt: duo sunt horologia, quibus nihil commune est, in se mutuo nihil agentia; taliter tamen attemperata, ut sibi commissa, semper sibi mutuo consonent, quasi in se mutuo agerent: aliud quidem horas, quadrantes, milleque alios concentus edat, prout alterius indices demonstrant, & vicissim; quin tamen unum in aliud aliqua ratione agat.

589. Triplici ratione horologia sibi consona statui possunt: 1. ut unum in alterum mutuo agat, trahat, retrahat: 2. ut unum in altero nihil omnino agat; artificis tamen semper adstantis, & agentis ope fiat, ut unum juxta alterius indices, & motum vicissim semper moveatur, & agat. 3. Si duo illa horologia ita exacte construas, & revolutiones suas adeo exacte conficiant, ut ab initio simul in motu unumquodque positum ex intimo tantum machinarum ingenio deinceps sibi semper mutuo consonent, & respondeant; quantumvis neque unum in altero agat, neque ab externa

ali-

aliqua manu dirigantur. Prima positio est mutuæ actionis systema: secunda caussarum occasionalium: tertia harmonia præstabilita Leibnitiana. In hunc sensum rem totam explicat Bulfingerus (a), harmoniæ propugnator.

590. Eodem sensu rem exponit Wolfius. Anima, inquit, ita est a Deo creata, ut vi sua sine ope externæ cujusvis caussæ omnes suas perceptiones, & appetitiones continuata serie sibi producat; ita ut semper posterioris perceptionis, aut appetitionis ratio sufficiens contineatur in antecedente perceptione, vel appetitione. Corpus etiam ita constructum, ac constitutum est, ut per se solum ex legibus motus sine ulla Animæ ope omnes suos motus continuata serie ita producat, ut ratio sufficiens cujuscumque subsequentis actionis, & mutationis sit in actione antecedente. Ea propter etiamsi nullum esset corpus, anima, eadem continuata serie, omnes eas perceptiones, & appetitiones, quas nunc habet, producere sibi posset: & sublata omni anima, Corpus, eadem continuata serie, omnes motus suos sibi crearet (b).... In systemate harmoniæ præstabilitæ Archimedes, inquit Wolfius, tam sublimia inventa, quibus Geometriam ditavit, in libris suis exposuisset, librosque singulos eodem, quo conscripti sunt, modo scripsisset, etiamsi nulla ipsi fuisset anima (c): sicut etiam, ait, perceptiones & appetitiones in anima, eodem, quo nunc, modo consequerentur, etiamsi corpus non existeret (d).

591. Habes, quid circa obscurissima hoc Metaphysicæ problema, & nodum solvendum Philosophi hactenus excogitaverint. Sensum nostrum sequentia aperient. Sed, cum difficillimam modo versemus Metaphysicæ quæstionem, qua intimus animi, & corporis humani fundus, atque mutua in sese agendi ratio quæritur; omnem obscuritatem tollamus: quid verbis ipsis significemus, quid in præsentiarum quæratur, diligenter statuamus. Commercium inter animam & corpus, aliud non est, quam utriusque actionum consensio

(a) *Bulfing.* Harm. Præstabil. §. 15. 17. 18.
(a) Psycolog. rat. sect. 3.
(b) *VVolfius* Psycolog. Ratio. §. 637.
(c) Psycolog. Rat. §. 614.

fio, hoc est, mirabilis illa actuum mentis, & corporis consensio, & concentus, quem inter se se mutuo habent Animae, & corporis actiones, ita ut sibi mutuo respondeant, consonent, se se excitent, & consequantur: ad datam in corpore modificationem sua illico in anima elicitur, aut explicatur perceptio, atque sensus; ad quosdam vicissim animae actus & voluntatis nutus, sui in corpore consequuntur respondentes motus: actiones igitur suas mutuo sibi communicant. Lex vero illa, qua haec inter corpus, & Animam peraguntur, *lex commercii* nuncupatur. En quid verbis significemus: quid tamen rei est definitum modo commercium; quo pacto inter corpus, & animam peragitur?

PROPOSITIO XIII.

592. *Harmoniae praestabilitae systema communi hominum sensui opponitur; nullo valido argumento probatur; gravissimis rationibus falsum demonstratur.*

Prima propositionis pars probatione opus non habet: satis ipsam a nostromet sensu, & ex communi omnium hominum commercio edocemur. Hominem quemcumque, nosmetipsos parumper consulamus: a nobis, ab homine quocumque Leibnitianae hypothesis praejudiciis non infecto quaeras, nihilne tuo in corpore, in corpus tuum anima, mens, voluntas, imaginatio agit, nihilne vicissim haec a corpore patiuntur? Porro ab hujusmodi quaestionis propositionem quotidiana illa omnia phaenomena, observata, experimenta in mentem veniunt, quae luculenter per totam physicam Viventium prosequimur, & explicamus: vix notabilem aliquam fieri in corpore mutationem observamus, quam aliqua in mente ipsa, seu animae nostrae statu non consequatur mutatio: ad minimam etiam animae nostrae voluntatem imperium, actionem infinita fere agimus, movemur, gestimus, sistimus. Cum infinita, inquam, hujusmodi in nobismetipsis omnes homines advertamus; suam inde originem ducit communis ille hominum sensus, quod in quamplurimas Corporis nostri actiones animae voluntas, in animam vicissim, variosque animae status, dolorem, gaudium, aegritudines, tristitiam, laetitiam,

tiam, rerum ideas, milleque id genus alia corpus vicissim agat. Phænomenorum modum, leges, & notionem hic ego non attingo; communem sensum tantummodo expono: quem probare, ad primam quæstionis partem demonstrandam sufficit. Quanta vero, & qualia a Corporis nostri statu in animam deriventur, & proveniant commoda, atque incommoda, per totam physicam Viventium late prosequimur: ubi de voluntariis, & liberis hominum motibus, de memoria, insania, judicio, lucidis intervallis, lætitia, ira, furore, milleque id genus aliis humanæ naturæ, hoc est, humani spiritus in corpore residentis passionibus disputavimus. Rusticanum hominem, philosophum in physicis, & anatomicis rebus meditandis contritum quæras, unde sæpissime in anima sua hujusmodi passionum motus excitentur, proveniant: A diverso mei corporis statu, reponent: hæc una erit totius humani generis responsio, & communis sensus. Quod si te ipsum, quidquid in anima tua, in spontaneis, liberisque motibus fiat, penitissime mediteris, ab omni alia cura, & præjudiciis vacuus, rem profunde, & tacitus evolvas, tuæmet etiam conscientiæ testimonio illum duplicis horologii nihil commune habentis harmoniam & communi sensui contradicere fateberis: idque unum est, quod in prima propositionis parte affirmavi.

593. Primam hanc probationem harmonistæ non multum curabunt: communis iste sit, inquient, omnium hominum sensus, eoque nomine a nobis donetur: reapse tamen commune præjudicium nuncupari potius debet: a quo nihil in meditantem philosophum, & in veritatem ipsam argumentari licet. Verum id unum mihi sufficit: communem hominum sensum in prima propositionis parte affirmavi expositione, atque communi observatione evici: de rei veritate non dubitas; quocumque tandem alio nomine eum sensum exprimas, rem confeci.

594. Quod secundo loco diximus, facile ab omnibus concedetur; si animadvertamus, vix unam, aut alteram levissimi momenti conjecturam inferius adducendam a Leibnitianis in medium afferri; quod ad rem paradoxam communi omnium hominum sensui atque conscientiæ testimonio oppositam probandum, aut

aut asserendum adduci serio non potest. 2. Harmoniam præstabilitam puram esse hypothesim ipsi etiam Leibnitiani non inficiantur, ut legere est apud *VVolfium*, & *Bulfingerum*, præcipuos post *Leibnitium* harmoniæ propugnatores.

595. Et sane unde nam harmoniæ inter animam & corpus existentia, atque leges probabuntur? Triplex tantum est probandi modus, experientia, ratio, auctoritas, ut fuse in Logica prosequimur; quod enim analogiam attinet, in argumento singulari „ & prorsus unico locum habere non potest. Jam vero quidquid argumenti a sensu, experientia, conscientia in re præsenti produci in medium potest, harmoniam penitus evertit. Auctoritate lis philosophica dirimi neque potest, neque debet; nisi Leibnitianus aliquis, ut desperatæ caussæ subsidium afferret, Pythagoricum illud, antiquum æque atque ridiculum, *Magister dixit*, auditorum suorum coronæ ediceret. Nulla demum ratio est, aut demonstratio, qua vel a longe probare quis possit, humanum corpus & animam duo esse automata, quæ nulla inter se mutua actione mediante machinarum instar seorsim, atque genio suo actionum series sibi respondentes edant, quin in corpus aliquid anima agat, aut a corpore patiatur. Principium, inquam, spirituale, quod cum materiali automato casu, aut ordinatione divina semper consonet: unum igitur superest, quod prædictam harmoniam, ut hypothesim statuant, & rei tantum possibilitatem ponant. Hæc omnia non inficiantur Harmonistæ: puram tantum hypothesim, quæ impossibilis demonstrari non possit, harmoniam esse contendunt. (*a*) Bene est: contra omnes igitur criticæ, prudentiæ, atque philosophandi regulas harmonia hæc, tamquam veritas facti, statuitur: parumper enim prætermisso, quod communi omnium hominum sensui harmonia, ejusque dogmata, & consectaria opponantur, quod gravissimis argumentis ejus falsitas evincatur; ut harmonia ejusque auctores vel ad disputationem ipsam non admittantur, satis id unum est, quod gravissi-

(a) Ita scilicet fatetur *VVolfius* Psychol. ration. §. 615. 616. 617.

vissimum Philosophiæ dogma citra ullam affirmandi rationem, ut facti veritatem adstruant.

596. *Leibnitium* igitur, *VVolfium*. *Bulfingerum* harmoniam, omniaque illius capita, & ornatissimam expositionem cum audieris; hoc uno prolato verbo, *probate*, invictissime rejecisti. Ad singulas fere paginas rationem sufficientem crepat semper *VVolfius*, & Harmonistæ cæteri: nihil esse, aut affirmari posse sine ratione sufficienti. Ita sane est, legem tenemus omnes; contra legem tamen turpissime peccant perpetui rationis sufficientis, hoc est, novi vocabuli præcones: rem scilicet sine ratione sufficienti statuitis: quæstionem igitur, seu commercium inter animam, & corpus non solvitis. Nihil hic assumo, quod ab ipsismet harmoniæ assertoribus non admittatur, aut ab ipsis negari possit. Quæ cum ita sint, incredibile videretur, nisi rem ipsi legeremus, *Christianum VVolfium*, doctum alias scriptorem, eo partium studio circa harmoniam præstabilitam devenisse, ut quicumque hominis sententiam non probant, tamquam hebetes, atque mediocris ingenii homines ab ipso tractentur, & satis inciviliter carpantur (*).

597.

(*) *Ut quanta sit humanæ mentis infirmitas, præjudiciorum, atque partium studii vis insigni exemplo innotescat, satis longum* VVolfii *textum conscribam*: Siquis hebetior fuerit, inquit, quam ut philosophicam scientiam capere possit, vel infirmior, ut inoffensa pietate systemati harmoniæ præstabilitæ assentiatur: is systema influxus physici amplectatur, & systema harmoniæ præstabilitæ, si velit, damnet, modo sibi temperet a malitia. Etenim qui hebetior est, quam ut philosophicam scientiam capere possit, is assentiri nequit ob rationum evidentiam, sed assensus ejus nititur rationibus extrinsecis, & præjudiciis, quæ a prima juventute hausit, difficillime eradicandis, atque idem passionibus animæ obnoxius. Quamobrem si vel maxime veritati assentiatur, aut, quod est probabile, ei præfert, quod est minus probabile: non tamen id ideo facit, quod veritatem, qua talem agnoscat, & probabilitatem intropiciat: sed istiusmodi rationibus adductus, quæ casu ita ferente eundem permovere poterant ad contrarium firmiter tenen-

597. Cum Malebranchianum systema jure merito non probarent, physicæque actionis modum non haberent perspectum, in hypothesim declinarunt, quæ si minus veritate, aut verisimilitudine, novitate saltem pla-

---

nendum, & pertinaciter defendendum. Perinde igitur est, sive assensum suum præbeat philosophis, sive eundem deneget. Æquo igitur Philosophus ferre debet animo dissensum illorum, qui hebetiores sunt, quam ut philosophicam scientiam capere possint: consequenter nec ægre fert, si systema influxus physici amplectantur, & systema harmoniæ præstabilitæ damnent, modo sibi a malitia temperent: quippe cum ferre nemo possit in altero studium nocendi, sed unusquisque ipso naturæ jure adversus vim aliorum se se defendere teneatur. Qui infirmior est, quam ut inoffensa pietate systemati harmoniæ præstabilitæ assentiatur, is veretur, ne hæc hypothesis sit impia, & Religioni inimica, propterea quod sibi semper persuasit, systema influxus physici in scriptura sacra probari, nec salva ejus auctoritate rejici posse. Quamobrem cum ista infirmitas ab hebetudine mentis proficiscatur, fieri haudquaquam potest, ut contrarium doceatur. Quamobrem cum Philosophus æquo ferat animo, ut hebetiores, quam ut philosophicam veritatem capere possint, systema harmoniæ præstabilitæ damnent, & rideant, & systema influxus physici probent, & extollant; multo magis condonabit infirmioribus, quam ut inoffensa pietate systemati harmoniæ præstabilitæ assentiantur: cum præstet pium esse, quam cæcum philosophicæ hypothesi præbere assensum. Psycholog. ration. § 640. *Hos ego VVolfii sensus cum lego, & philosophica mente perpendo, commiseratione, & risu hominem prosequor. Quo non litteraria præjudicia, systematis amor, partiumque studia humanam mentem, & animam adducunt? Si ridendi caussa harmoniæ partes susciperem; ita jocando argumentarer: credibile non apparet, VVolfianam manum, & machinam comi adeo, urbano, atque modesto stylo scripsisse, si aliquem cum docta hominis mente commercium haberet, atque ab ea dirigeretur: quandoquidem igitur secundum* VVolfium, *& harmonistas cæteros Archimedes tam sublimia inventa, quibus Geometriam ditavit, in libris suis exposuis-*

placeret. Quenam autem loco apud omnes Philosophos esse debeat pura hypothesis nullis rationibus confirmata, communi sensui opposita, atque idcirco paradoxum sapiens, & gravissimis præterea argumentis labefactata, nemo non videt. Ad præcipuum igitur rei caput probandum deveniamus.

598. Harmoniæ præstabilitæ falsitatem sequentia demonstrant. Si veram tandem hujusmodi hypothesim esse admittimus; omnes philosophandi regulæ evertuntur: in quibuscumque aliis rebus materialibus, spiritualibus similis statui poterit harmonia, omnesque materiales effectuum quorumcumque caussæ hactenus secundum sanam philosophiam admissæ, in dubium vocantur, rejiciuntur, omnia invertuntur, tota hæc materialium rerum universitas, & systema pura harmonia statui potest. Quascumque hactenus existimabamus phænomenorum caussas, caussæ reapse non sunt, sed puræ tantum machinæ harmonicæ, seu in consonantia ab æterno rerum omnium auctore constitutæ, & perennes semper actionum series naturæ genio efficientes; quin una in alteram agat. Rem explicemus: hæc hactenus fuerat secundum humanæ rationis dictamen probatissima philosophandi ratio, & regula: *quotiescumque eum in phænomenis edendis constantem semper ordinem observamus, ut ad præsentiam datæ caussæ activæ effectum semper edi animadvertamus; contra vero, data illa deficiente caussa, datum illum effectum numquam edi observemus; his, inquam, stantibus, observatum phænomenon, ut verum datæ acussæ effectum pronuntiamus, veramque inter utrumque actionem physicam intercedere secundum omnes philosophandi regulas existimamus*. Eo sane dictamine ducti, ab igne nos calescere, a sole illuminari, ab ictu corporum feriri, dolere, & infinita alia dicebamus. Hæc una hominibus semper judicandi regula rationis lumine confirmata. Quod ad solem, seu ignem aliquem terre-

set, librosque singulos eodem, quo conscripti sunt modo, scripsisset, etiam si nulla ipsi fuisset anima (a); *VVolfiana Machina præstabilita harmoniæ argumentum, & demonstratio existit. Quis autem in scribentem machinam irascatur?*

(a) *VVolf.* loc. cit. §. 637.

terrestrem semper calescam, eoque prorsus deficiente frigescam; solem, & ignes cæteros terrestres in calorem in me excitatum agere, verasque esse ejus effectus caussas dicimus: quod flante vento navigium, expansis velis, medio in oceano deferatur, illo vero cessante, sistat; navigationem in ventorum efficaciam referimus. Atqui harmonia semel admissa, hæc philosophandi regula stare amplius non potest; omnes caussæ de medio tolluntur: quidquid in rebus fit, aut de novo appareat; harmonicum illud est, non a distincta aliqua caussa peractum, sed ope harmoniæ præstabilitæ ex intima substantiæ activitate emanans.

599. Equidem posito meæ voluntatis actu, manum v. g. pro lubitu meo moveo, assurgo, sedeo, quiesco, a quiete ad motum, a motu ad quietem transeo: illa in me voluntate deficiente, omnes illi etiam in me cessant effectus. Si cultello feriar, aut corpus quodcumque aliud me male tractet; illico doleo: absint illa omnia, omnis illico doloris sensus evanescit: paria omnia sunt: nihilominus nullam hic caussam, sed puram actionum harmoniam agnoscis. Nihil in motus illos voluntarios, & liberos agit voluntas, inquis: purus hic est actionum concentus. Idem plane est omnium caussarum, & effectuum casus: nullus est a sole, aut igne quocumque in me effectus: inter me, & ignem, aut solem pura est harmonia, & actionum concentus: alii ex aliis in me emanant, aut nascuntur sensus, phænomena, dolores; non a sole, igne, corporibus cæteris effecti, sed ex propriamet Animæ activitate catenatim, & seriatim ea lege emanantes, ut subsequentium ratio sufficiens in antecedentibus sibi proximis inveniatur: hæc vero actionum series solis, ignium terrestrium, cæterarum actionum seriebus harmonice respondent: unde oppositum probabis?

Hoc quidem argumentum eo efficacius contra harmonistas Leibnitianos evadit, quod substantias omnes *monades* esse dicant, inter quas magnam etiam agnoscunt, atque statuunt similitudinem. Omnia per eos sunt *monades*; inter earum monadum quamplurimas sola agendi ratio harmonica admittitur: quidni rem de omnibus pariter affirmare; cum nulla sit, aut appareat excipiendi ratio?

600. Contra adductam hactenus rationem ita argu-

 men-

mentari posset Leibnitianus: caussarum, atque effectum ratio & existentia ex his duobus pendet, atque statui philosophando debet, si nimirum caussarum actiones agnoscamus, quibus effectus reapse produci animadvertamus. Deinde si inter caussas atque effectus proportio intercedat. Duo hæc in animæ, & corporis effectibus desiderantur: nullas illic actiones animadvertimus: nullam inter spiritum, & corpus proportionem existere, certum apparet: contraria omnia sunt in reliquis materialibus caussis ad materiales effectus relatis. Resp. Operæ pretium non est in hisce refellendis immorari, quæ neque ab harmonistis ipsis serio producuntur. Caussarum quarumque actiones nemo umquam mortalium vidit, cujuscumque tandem conditionis caussæ ipsæ existant, unos tantum effectus ab ipsis productos agnoscere hominibus in præsenti rerum statu conceditur: caussas, & effectus sensibus agnoscimus: notarum deinde caussarum effectus esse observata quædam phænomena dicimus, exposita modo ratione philosophando, atque naturali lumine ducti. Ex irruente in me lapide ictum, percussionem, dolorem in me ipso sentio, percipio; præter hæc nihil in dato casu animadverto. Sed vero in animæ, atque corporis in se mutuo effectibus res perinde se habet. Proportio, & vires caussarum ex effectibus ipsis dignoscuntur. Quare cum eodem plane modo ab anima in corpus agi percipiamus, atque a materialibus caussis in materialia phænomena agitur; vim in spirituali anima ad motus in corpore aliqua ratione peragendos proportionalem esse deducimus. Nulla est proportio, inquiunt, inter spiritum, & materiam: probate; id enim vero omnes negamus: ad proportionem negandum opus esset intimam spiritus, atque materiæ naturam habere perspectam, quod nostram mortalium conditionem longissime superat: ad asserendum vero hæc duo sufficiunt 1. quod effectus, seu motus in corpore perinde ad animæ nutum, & voluntatem consequi constantissime semper observemus, atque a cæteris materialibus caussis materialia etiam phænomena profluunt, aut ab anima ipsa liberæ mentis functiones producuntur: in horum postremis autem veram caussæ rationem intervenire per ipsos etiam harmonistas constat.

601. 2. A spiritu purissimo, Deo optimo maximo, omnes

omnes tandem esse materialium rerum motus, & veram ipsum esse, atque primam omnium rerum, atque mundanorum motuum caussam physicam, nullus harmonista inficiabitur; nisi in Pantheismum, aut materialismum incidat, quod absit, ut de hisce philosophis suspicemur: hoc autem semel dato, negari amplius non potest, veram inter spiritum, & materiam ad hujusmodi phænomena producenda proportionem intercedere. Paucis rem totam colligam: caussarum actionem homines non videmus, earum effectus sentimus, animadvertimus, ratione demonstramus: ex effectibus vires, atque caussarum proportionem secundum philosophandi regulas deducimus: summam connexionem inter animæ & corporis actiones deprehendimus, quanta inter caussas, & effectus materiales intercedit, & qualis etiam esset, si inter corpus, & animam vera intercedat actio. Ad evidentiam præterea constat, corporis motus a spiritu reapse produci, neque nisi a spiritu esse tandem posse: vera igitur est inter spiritum, & materialia phænomena proportio. Tandem etsi hæc omnia capita desiderarentur; negari a philosopho hæc proportio non potest, quamdiu intimam spiritus naturam penitissime non agnoscimus; quod in præsenti rerum statu non habemus.

602. Probatur 2. propositio: Veram parumper ponamus harmoniam illam præstabilitam inter omnes corporis, & animæ functiones: in serie igitur actionum corporis actio A est ratio sufficiens actionis B, & ita de omnibus aliis: ita enim vero rem statuunt. Bene est: at sæpissime nos a motu in quietem, a quiete ad motum, ab uno in contrarium motum convertimur, atque transimus: rem in semetipso unusquisque videt, & quotidie experitur: quies igitur esset ratio sufficiens motus, & vicissim motus in dextram esset oppositi penitus motus, atque directionis ratio sufficiens. Mille identidem actiones agimus nullo modo inter se connexas, sed penitus diversas. Neque id modo in corporis, sed in animæ etiam actionibus quotidie observamus: secundum harmoniæ assertores, omnes voluntatis nostræ actus se se seriatim, & catenatim subsequuntur, unusque alium trahit, a quo tertius similiter trahetur, quartum pari necesitate tractarus: omnes hujusmodi actus, fatalisque eorum catena ex puro animæ fundo & energia explicatur, atque emanat:

nihil in illos agunt corpus nostrum, aut externa quæcumque objecta: omnis enim tollitur actio: nihil animæ nostræ cum corpore nostro, cum corporibus cæteris commune: seorsim quælibet res suas agunt, actus suos eliciunt. At quotidie fit, ut quem hucusque tenere amavimus, ad prolatam ab illo in nos injuriam, aut inflictum vulnus, odio illico habeamus, totiusque vehementis amoris æstus in oppositam animi aversionem convertatur. Infinitæ aliæ subinde fiunt in humano animo mutationes: nihil prolatum verbum, nihil inflictum vulnus in antecedentem amorem, aut subsequens odium agit: perinde amor, odium, amoris, odiique actus, atque vicissitudines in anima fiunt, ac si neque corpus haberemus, neque externum aliquid esset, corpus, amicus, inimicus, injuria, vulnus. Hæc scilicet est harmoniæ hypothesis: intra animam ipsam, in ipsismet ejus actibus quærenda tantummodo est subsequentium actuum ratio, & caussa sufficiens: ideo odio habes, quia proxime antea amasti; prior ille amoris actus unica est odio habendi sufficiens ratio. Quoscumque inter amorem, & odium medios alios actus interfluere dicas; difficultatem non declinas: longiori, breviorive itinere ad hoc semper caput devenimus, quod actus amoris sit tota ratio, atque caussa sufficiens actus odii: id vero adeo rationis dictamine abludit, & alienum est, ut id unum caput meo saltem judicio ad harmoniam penitus rejiciendam sufficiat.

603. Hujusmodi argumentum a ratione sufficienti desumptum, quam tantopere prædicant Harmonistæ, eo nos philosophando deducit, ut mentem semper, & necessario cogitare secundum hanc hypothesim dicamus. Fuerat hæc *Cartesii*, & omnium Cartesianorum opinio, animam semper cogitare: in eamdem harmonistas omnes descendere opus esse, harmoniæ ipsius positio demonstrat. Humana anima, tamquam spirituale automaton ab iis ponitur, in idearum sibi succedentium, & sese alias ab aliis evolventium seriem genio machinæ acta; ita ut una alterius ratio sufficiens existat: si igitur antecedens idea est ratio sufficiens existentiæ subsequentis ideæ: illudque proculdubio existit, cujus existentiæ ratio sufficiens existit: impossibile est aliquod esse tempus, in quo mens nullam habeat ideam: aliter non existeret idea, ad cujus existentiam tota

ra-

ratio sufficiens existeret. Animam nostram semper cogitare facile dabunt harmonistæ omnes: Ego tamen, posito universali omnium hominum experimento, quod nullus scilicet se semper cogitare conscius existat, aut meminerit, illi sententiæ non parum diffiderem, quæ vera esse non potest, nisi me semper cogitare, verum pariter existat.

604. Probatur 3. Harmoniæ hypothesis ad idealismum nos deducit, eaque statuit, quibus positis, nihil amplius suppetit, quo contra idealistas argumentari valeamus. Sibi enim vero idealistam statuat Leibnitianus philosophus, quocum agat: me ipsum parumper idealistam ponat: nulla sunt corpora: probari illa nullo modo possunt, si harmonia statuatur. Unde enim, amabo, corporum existentiam probamus? a sensuum omnium testimoniis: bene est: si ergo hæc omnia in hypothesi harmoniæ fallant, si nihil probent; tum vero palmam deferet Idealista: fallunt vero. Omnia scilicet illa sunt puri actus animæ, neque a nostro, neque ab externis corporibus ullo modo dependent: perinde in anima, in nobismetipsis illi omnes sensus, dolores, visus, auditio, conscientia emanarent, atque existerent, perinde sentirem, si & meum, & alia corpora existant, ac si non existant: sensus igitur, conscientia, experimenta, ratio, argumenta existentiæ corporum amplius esse non possunt: quidquid ad animam, ad mentem, rationem, sensum spectat, nihil cum corporibus habet commune, nullam cum iis habet relationem: ad corpora igitur probandum non inserviunt. Argumentum ad ideas pariter extenditur: male scilicet a corporum ideis eorum existentia probaretur: secundum Harmoniæ enim hypothesim ideæ de corporibus quibuscumque a corporibus nulla ratione pendent, e proprio animæ fundo emanant, evolvuntur, profluunt, licet nullum existat corpus: unde ergo probas existentiam corporum? unde certum tibi est, me tibi litem intendere, homines esse, quibuscum agas?

605. Neque Leibnitianus Philosophus in infinitam Numinis Bonitatem confugere potest: Quasi scilicet posita supremi Numinis bonitate, fieri non possit, quin præsentes animæ nostræ sensus corporum existentiam certo nobis demonstrent. Bene quidem ex hoc capite cæteri philosophi argumentantur: secundum eorum syste-

systemata naturalis, & physica intercedit inter corpora, & animam, inter corporum existentiam atque eorumdem ideas, & sensus connexio, & dependentia: eapropter & sensus & ideæ, tamquam aptum & certum existentiæ corporum criterium nobis a Deo dari potuit: satis inde intelligitur, ita nos esse a Deo comparatos, ut claris ideis, & manifestis sensibus ducamur, assentiamur, credamus: naturalis semper est ab ideis & sensibus ad eorum objecta relatio. Alia omnia in Leibnitiana hypothesi existunt; cum nulla penitus inter animæ actus ideas, sensum, atque corpora intercedat relatio, dependentia, actio; priora illa naturale & certum existentiæ corporum criterium esse non possunt. Si ideis, sensibus, conscientia ducimur; fallaci argumento ducimur: fallax igitur medium, atque criterium humanæ menti donasset Deus, quo ad firmum assensum præstandum duceretur. Id ne vero per summam Dei Bonitatem atque Sapientiam cogitari ne quidem potest? Enim vero in hujusmodi rerum hypothesi omnes humanæ scientiæ, & artes physicæ in divinam tandem fidem resolverentur: non jam in sensus experimenta, & conscientiam humanæ cognitiones, & naturales veritates resolvi possent. Fallacia enim hæc sunt media, atque fundamenta. Est ne vero hæc philosophandi ratio philosopho digna, est ne vera, atque citra Dei injuriam teneri ab homine potest?

606. Quin imo Deus ipse nos perpetuo falleret: ea enim nos naturali indole comparavit, ut corpora esse sensu, conscientia crederemus: naturale hoc tamen humanæ mentis criterium hominibus a Deo datum est fallax: nulla inter hujusmodi criterium, & corpora ipsa naturalis aliqua connexio existit: falsissimum criterium: esto enim non sint corpora, erit tamen per te eorum existentiæ criterium, criterio ducemur, in errorem criterio ducti laberemur.

607. Quocumque se vertant Harmonistæ, idealismus secundum harmoniam statuitur. Nulla iis ratio suppetit, qua ab idealistarum argumentis se se expediant. Existant, vel non existant corpora, easdem in una, atque in altera hypothesi ideas, sensus actiones animæ haberemus: in casu non existentiæ corporum idem omnino ageret, sentiret, cogitaret anima, quod modo agit, sentit, cogitat. Conscientia motuum nostri corporis

poris est procul dubio actus animæ; est enim intimus sensus, atque perceptio: in utraque igitur hypothesi eamdem haberemus conscientiam nostri corporis: res quidem ab harmoniæ positione, atque principiis profluit. Hanc tamen conscientiam in casu non existentiæ corporum habendam negat *VVolfius*: sed quodcumque teneas; harmoniæ absurditatem, atque falsitatem conficimus. Si primum; ergo ab harmonia, seu a Deo unico harmoniæ auctore in errorem inducimur: ita enim comparati sumus, ut intimo conscientiæ sensu semper ducamur, eumque tamquam veritatis criterium statuamus: Corporibus igitur non existentibus, perinde adhuc ut modo sumus, de corporibus nostris conscii existeremus; eaque propter nullum nobis circa eorum existentiam superesset dubium: dato nobis a Deo veritatum criterio ducti, nostrorum corporum existentiam, hoc est, errorem teneremus. Sin autem secundum; actum est de harmonia; aliqui enim sunt animæ actus, quorum ratio sufficiens est corpus, animæ præsens; illique aliqua tandem ratione unitum: sensus conscientiæ est vera perceptio, & actus animæ; dicet enim Harmonista corpori organico, seu materiæ inerti conscientiam inesse? In præsenti igitur existentiæ corporum hypothesi quamplurimos actus habet, seu elicit anima, quos, sublato corpore, non haberet: ejusmodi igitur actuum animæ, & sensuum existentia a corpore dependet; non amplius cogitantes animæ existimus, cogitamus, percipimus, quales, sublatis corporibus, existeremus, perciperemus: actum est de harmonia, a corpore tandem dependet anima, in animam, in plures illius actus agit corpus: aliquod tandem est inter corpus, & animam physicum commercium.

608. Probatur 4. Tota illa harmoniæ præstabilitæ hipothesis communi omnium hominum sensui opponitur: nisi igitur validissimis rationibus hujusmodi dogmata evicantur; non modo imprudenter asseruntur, sed una secum falsitatis characterem, atque notam deferunt: rem communi sensui oppositam probate: alias harmoniam inter otiosæ mentis opera merito annumerandam pronuntiabimus. Hypothesim tantum proponimus inquiunt, thesim non adstruimus. Sed ne hypothesis quidem admiti poteit harmonia, respondeo: ad hypothesim aliquam adstruendam hæc præter alia observari de-

ri debent, nullis indubiis principiis, factis, experimentis opponi: communi sensui non contradicere: iis initi fundamentis, quæ rem certo possibilem demonstrent, reapse ita esse, aliqua probabilitate persuadeant: nullis tandem rationibus convelli, quæ rei falsitatem demonstrent. Quæcumque in medium afferantur hypotheses hisce notis, atque charactere non præditæ, inter hypogriphos, & vana poetarum commenta numerabuntur. Omnia autem illa in harmoniæ hypothesi desiderari, facile deprehendet quisquis suum ipsius sensum, rationes huc usque adductas, ipsammet harmoniæ positionem intueatur.

609. Probatur 5. Humanæ liberatis ratio, & existentiæ veritas aliud caput est, ex quo in harmoniam præstabilitam argumentum desumitur. Fusissime ex hoc capite in Leibnitium argumentantur quamplurimi: quin imo peculiarem hanc instituunt quæstionem, *possit ne in Leibnitianæ harmoniæ hypothesi humana libertas constare?* Res mihi videtur paucis verbis expedienda. Pono interim, paulo inferius probaturus, libertatis proprie dictæ ideam in activa indifferentia consistere: liber ad studendum, & scribendum me accingo, quia non modo volens studeo, & scribo, seu ad studendum, & scribendum libenter ducor, quod cum insuperabili necessitate conjungi posset: sed quod ex me ipso nullo externo cogente active eligo, me ad agendum delibero, cum possim iisdem in circumstantiis non agere, neque deliberare. Si aliam tibi statuas libertatis ideam, tecum inferius agam; modo enim secundum indicatam ideam argumentum resolvam. Libertatis humanæ actus duplicis sunt ordinis, interni scilicet voluntatis actus, & externi corporis motus, quos voluntarios appellamus. Primi generis sunt amor, odium, velle, nolle, & infinitæ fere duplicis hujusce generis species: ad secundum ordinem spectant manus pedes, membra alia movere, quiescere, & similes: Prioris ordinis actus a sola anima cogitante, & volente fiunt: posteriores autem secundum communem philosophorum harmoniam non probantium sensum, & ab ingenio machinæ & ab animæ ipsius actione ut plurimum fiunt. Secundum harmoniæ constitutionem, auctores, & universi humani corporis motus, quies & actiones sunt puri machinæ effectus, in quos anima nullo modo

agit,

agit, & quos eodem modo corpus nostrum anima destitutum exerceret, atque modo peragimus.

610. Hisce positis in harmoniæ hypothesi nulli nostrorum corporum motus, aut actiones, quantumvis voluntariæ possunt dici, aut esse liberæ: communi hominum sensui, experientiæ, conscientiæ id opponitur. Inde argumentum in harmoniæ auctores desumitur: omnes & quicumque nostri corporis motus, & voluntariæ actiones in harmoniæ hypothesi a pura machina, a materia non cognoscente, neque volente fiunt: atque ab illa peragerentur, si nulla esset anima; quemadmodum in horologio automato visitur. Jam vero motus horologii, actiones puræ machinæ, in quas nullo modo agit anima, actus a machina inanimi editi nullo modo possunt esse, aut nuncupari liberi; nisi novas vocabulis intelligamus ideas: omnes nostri motus voluntarii eodem plane modo nunc fiunt, iidem plane existunt, atque fierent, & existerent, si nulla in nobis esset anima: quoniam igitur in data illa hypothesi non essent liberi, nisi automati horologii motus liberos nuncupare velis; in præsenti etiam rerum statu nullam plane habent libertatem.

611. Secùndum aliorum philosophorum sensum hujusmodi voluntarii motus sunt liberi; quia partim saltem a principio, seu caussa libera cogitante, volente & active eligente efficiuntur, pro ejus lubitu fiunt, aut impediuntur: hæc omnia necessaria libertatis principia in harmoniæ hypothesi desiderantur. Manifesta adeo hæc omnia sunt, ut in iis amplius immorari operæ pretium non esset: si ergo prædicti voluntarii motus sunt procul dubio liberi, harmoniæ hypothesis est prorsus falsa, atque absurda.

612. Quod internos animæ actus attinet, utrum humanæ voluntatis actus in harmoniæ hypothesi esse possint liberi, ex ipsiusmet hipothesis positione dependet. Si ejus indolis animam a Deo creatam ponas, ut illa non aliqua suæ naturæ necessitate, aut fatali, & insuperabili aliqua vi actiones suas, aliam post aliam efficiat; sed certam actuum seriem activa efficacia in tempore eliciat; nulla licet antecedenti, aut intrinseca necessitate adacta: in hac, inquam, hypothesi, seu harmonica actuum animæ dispositione nihil est, quod humanorum actuum nostræ voluntatis libertatem lædat: maxime tamen si contrario modo harmoniæ hypothesis concipiatur. Duplex est caussarum ordo, quod ad

rem

rem præsentem facit: caussæ sunt naturales *necessariæ*: sunt etiam & caussæ *liberæ*: utriusque ordinis species, gradus, combinationes pro infinita Numinis omnipotentia infinitæ esse, & aliæ cum aliis secundum harmonicas quascumque combinationes disponi ab æterna Numinis Præscientia possunt. Deus ab æterno caussarum quarumcumque actiones futuras præscivit: hujusmodi divina, atque æterna præscientia nihil in caussarum ipsarum actionibus immutat. Caussæ quæcumque liberæ ab æterna Numinis præscientia cognitæ, liberæ esse non desinunt: ex infinitis igitur diversorum ordinum, atque specierum caussis Deo possibilibus, & ab æterna ipsius Numinis præscientia prævisis ita duplices, aut plures etiam caussas combinare secum ipsis potest, ut vel necessaria cum necessaria, vel libera cum libera, vel tandem libera atque necessaria harmonice consonent seu conveniant. Ab æterno Deus prævideat actus omnes futuros a possibili caussa, ab humana voluntate libera eliciendos: prævisæ hujusmodi actuum seriei liberæ ita aptari a Deo potest mechanica aliqua caussa necessaria, ut sibi mutuo actiones liberæ atque necessariæ respondeant; quin una in alteram agat. Hic sane esse aut statui potest harmoniæ casus. Cum ergo in hac hypothesi neque actus a mente necessario ponantur, neque præscientia divina æterna aliquid in ipsorum actuum conditione immutet; nihil est, quo minus humanæ voluntatis actus in hujusmodi hypothesi non ponantur liberi. Si huiusmodi actuum nostræ voluntatis libertas stare non posset; vel id esset ex præscientia divina, vel quia duplex caussa libera, & necessaria neque per divinam omnipotentiam creari, & combinari ita possent, ut harmonice sibi mutuo responderent. Primum est aperte falsum; ut diximus: alias enim nulla esset, aut esse posset caussa libera. Secundum est casus hypothesis, cujus impossibilitas neque facile demonstrabitur, neque a nobis in præsentiarum disputatur: id unum demonstrasse contenti harmoniæ casum in præsenti rerum statu non existere.

613. Ex dictis igitur plane consequitur, secundum harmoniæ hypothesim nullos voluntarios motus esse posse liberos: actus vero nostræ voluntatis internos posse aut liberos, aut necessarios ab harmoniæ auctoribus poni. *Leibnitius* ita rem exponit, ut non modo omnem

omnem ab externis actibus voluntariis libertatem excludat, verum quoscumque etiam nostræ animæ actus internos physica naturæ necessitate fluere, existimare videatur. Illius enim principium est, quod omni substantiæ tum spirituali, tum materiali insit vis quædam activa, ex qua perenniter actiones sui generis emanent (*a*). Ex quo validius in hominem argumentum ab humana libertate desumitur: ea harmoniæ constitutio, in qua nullum amplius est humanæ libertatis internæ, aut externæ vestigium, est proculdubio falsa: cum sane esse Leibnitianæ harmoniæ, atque hominis sensum, & exposita huc usque argumenta, & relata auctoris verba demonstrant. Mirum igitur nemini jam esse poterit, quod de celeberrimo Suecorum Rege *Carolo* XII. refertur: audito scilicet in Germania Leibnitio, fatalismum fuisse amplexum.

614. Contra argumentum a libertate motuum voluntariorum nostri corporis desumptum, opponi hic ab harmonistis posset. Hujusmodi voluntarii motus secundum physici commercii sententiam sunt liberi, quando quidem igitur secundum harmoniæ hypothesim perinde a corpore citra animam elicerentur, atque modo eliciuntur; in casu etiam harmoniæ dici debent liberi: aut si tunc essent necessarii; pari etiam necessitate modo eliciuntur. *Secundo*: Nihil est, unde voluntarii motus probari possint liberi: quin imo reapse existunt necessarii; quantumvis a nobis existimentur liberi. Existimantur enim vero liberi, quia pro libito nostro ponuntur, impediuntur, incipiunt, desinunt, retardantur, modificantur. At mechanymus nostri corporis, atque externorum objectorum impressiones unicum illud est principium, seu caussa physica, unde motus illi voluntarii proveniant; a caussa nimirum necessaria effectus pariter necessarii. Quod vero ad voluntatis libitum semper fiant, incipiant, sistant, varientur, mutentur; probat id quidem, quod ejusmodi motibus ab humano corpore secundum interni mechanismi genium, & externorum corporum impressiones productis prædicti semper in anima respondeant voluntatis actus; nequaquam tamen a libero ipsius mentis arbitrio fieri: secundum voluntatem nostram liberam, non tamen a voluntate fiunt.

615.

(*a*) Acta erudit. an. 1694. mense Martio.

615. Facilis est ad proposita scrupula responsio. Respondeo *ad primum:* motus voluntarii modo quidem sunt liberi: de rei veritate convenimus: liberi tamen sunt, quia ab anima fiunt; liberi non essent, si ab anima nullo modo penderent; quod in harmoniæ hypothesi ponitur. Actiones etenim a principio, seu caussa tantum necessaria physica procedentes sunt proculdubio necessariæ: hic vero esset casus motus cujuscumque voluntarii, si harmonia Leibnitiana statuatur; secundum quam nulla omnino est animæ liberæ in voluntarios motus actio: quandoquidem igitur ejusmodi motus a principio aliquo libero, humanæ scilicet mentis voluntate non pendent, aut efficiuntur; nullum in iis libertatis vestigium esse potest. Uno verbo: liberi modo sunt voluntarii motus, quia caussam habent liberam: in harmoniæ hypothesi necessarii prorsus existerent; quia a nulla caussa libera producerentur.

616. *Ad secundum:* Si teneri non potest harmonia, nisi omnem ab universis humanis motibus voluntariis libertatem excludamus; satis inde hypothesis absurditas evincitur: qui in hunc modum argumentetur harmonista, humanarum actionum libertatem, in ea, quam tuetur, hypothesi stare omnino non posse argumento suo demonstrat. Jam vero hujusmodi motus esse liberos, adducenda inferius argumenta pro humanarum actionum libertate adstruenda demonstrant. Humanam libertatem aliqui saltem harmonistæ admittere videntur; at in nullis sane humanis actionibus evidentius illa apparet, atque deprehenditur, quam in motibus voluntariis: vel igitur nulla est humana libertas, vel voluntarii hominum motus inter liberos effectus sunt recensendi. Esto id tamen, perges, liberi per nos sint voluntarii hominum motus: ejusmodi sane esse possunt in nostra etiam harmoniæ hypothesi; liberi enim vero existunt, quantumvis ab anima non ponantur, quatenus scilicet non elicerentur, nisi liberæ mentis actus respondentes ab anima elicerentur. Resp. Qui ita ratiocinatur, harmoniam penitus tollit, cujus dogma est, perinde omnes nostri corporis motus a corpore peragendos, si nulla in illo esset anima, atque in præsenti rerum statu efficiuntur; perinde modo effici atque si inanime corpus existeret: falso igitur ejusmodi motus a corpore effici assu-

assumitur, quod respondentes liberæ mentis actus ab anima libera ponantur.

617. Probatur 6. Da hominem, in cujus longissima vita mille intricatissimæ actiones, motus, res prorsus inter se contrariæ, atque implicatissimæ, mirabiles plane idearum catenationes, novarum rerum creationes occurrant; hominem, inquam, qui numquam fere quiescat, modo in Sinas, statim in Laponiam, inde in Americam, in Africam, ab alia semper in aliam mundi partem, ab alio in alium oppositum locum, ideam, vivendi rationem pertranseat: hujusmodi hominum corpora easdem omnino actiones, pericula, facinora, consilia inirent, peragerent, si nullam haberent animam, atque modo agunt? Ita enim vero est, inquiunt *Leibnitius*, *VVolfius*, Harmonistæ cæteri: *Archimedis* corpus, etsi nulla in illo esset anima, eadem nobis mirabilia Geometriæ inventa, inscia manu demonstrasset, problemmata solveret, machinas construeret (*VVolfii* exemplum hoc est): nihil nos *Archimedis* animæ ingenio, meditationi, studio, & contentioribus acceptum referimus beneficium: una per nos est hominis mechanismo, corporeo automato gratia. Idem similiter de cujuscumque alterius vita rebus gestis pronuntiandum. Æneidam, Philippicas, Verrinas, & præclara alia quam plurima Oratorum, Poetarum, cæterorum Artificum monumenta, materialium automaton opera existunt: illa scripsissent, pronunciassent *Virgilius*, *Tullius*, cæteri, quantumvis humana eorum corpora inanimæ essent statuæ. Mirabilis igitur illa non modo hominum, sed quorumdam etiam Brutorum sagacitas, industria, prævidentia, quas tantopere demiramur, unde nos mirabile quorumdam hominum ingenium, & aliquarum bestiarum perspicaciam suspicimus; hæc, inquam, omnia purus mechanismus existunt, quin ne tantillum quidem in hujusmodi effectus anima agat.

618. Parum est, quod totam Cartesianorum circa animantium animas doctrinam calculo suo probent harmonistæ; rem multo longius promovent, atque deducunt, quo pervenire reformidaret *Descbartes*. Absurdissimus Pyrrhonismus per harmonistas inducitur: in dubium verto, rem parumper disputandi gratia ponant, utrum harmonistæ omnes sint puræ machinæ.

Vvolfium, & *Leibnitium* mihi ob oculos statuo: doctas olim animas hasce in machinis commorantes existimabam. Re tamen per otium secundum utriusque doctrinam examinata, in Criticam ita existimando peccavi: rem etenim sine ratione sufficienti affirmabam; nihil argumenti mihi est, quod animas in VVolfiana & Leibnitiana machina hospitare persuadeat: Quidquid in iis machinis fieri video, audio, sentio, animadverto, in iis pariter eodemque modo animadverterem, si nulla in iis esset Anima: hæc eorum demmet auctorum sententia est: quod modo differunt, typis edunt, confabulantur, rident, ingemiscunt, irascuntur; id pariter nulla anima præditi peragerent. Ideas, aliosque actus spirituales, animam ipsam nullus hominum in alio videt, aut sensu alio percipit: animam cogitantem in aliis etiam hominibus, quibuscum agimus, reapse inesse, ex relatis modo animantium actionibus deducimus. Perinde enim eos loqui, scribere, docere, discere, cætera omnia agere animadvertimus, atque ab unoquoque nostrum suæmet animæ, & idearum conscio peraguntur. Bene est, hoc tamen argumentum, quod, sublata harmonia, rem demonstrat, harmonia posita, est maxime fallax. Quæcumque in aliis deprehendere possumus, sunt purus mechanismus harmonicus, a corpore sine anima peragerentur: immo &, si vera esset harmonia, ita reapse fiunt: licet igitur eadem in aliorum hominum corporibus, atque ab iis fieri animadvertamus, quæ in nobis, qui corpus, & mentes sumus, intimo sensu, & conscientia percipimus; nullum tamen in iis animæ vestigium, aut argumentum apparet. Quandoquidem in hæc omnia anima non agit, & nullam cum iis habet connexionem; male ex corporis motibus latentis in corpore animæ existentiam argumentaremur: eorum omnium latens spectator est anima. Una est conscientia atque spirituales cæteri animæ actus, qui ejusdem animæ effectus sint, illiusque existentiam demonstrent: videmus nos vero, sentimus, percipimus cæterorum hominum, seu humanarum machinarum, mortalium horologiorum conscientiam, aut internas alias perceptiones? Quonam pacto se ab istanti semper philosopho Pyrrhonico harmonista expediat, non video.

619. Argumentor 7. Ex manifestis etiam effectibus

passim

passim obviis, & in oculos incurrentibus argumentum desumo. Si vera esset harmonia; physicos sæpe effectus sine caussa statueremus. Sæpissime fit, ut unus idemque per planam aliquam apertam & expeditam viam recreationis caussa obambulans, identidem sistat, moveri deinceps pergat, velocitatem, directionem mutet: modo sic: secundum harmoniæ hypothesim homo deambulans est machina quædam, & horologium authomaton certa quadam directione, atque motus velocitate incedens: hæc procul dubio machina, istud corpus secundum generalem inertiæ legem in eo statu, ea directione, ea velocitate motus perseverat, quoad externa aliqua caussa mutationem inducat. Quid ergo, amabo, quiescentem machinam, materiam inertem ad motus concitabit? repente sistit corpus motum, quiescens repente movetur, motum in Orientem repente in occasum flectitur. Idem interim perseverat in corpore mechanismus, nulla interna mutatio, eædem etiam externæ circumstantiæ perseverant: neque igitur in interno machinæ ingenio, neque in circumstantibus corporibus apparent ejusmodi effectuum caussæ. Duo præterea observamus: primo, quod ejusmodi mutationes & effectus ad unam voluntatis nostræ mutationem, & placitum inducantur; quantumvis nulla extra nos ad mutationem existat caussa: Secundo, quod quamdiu in nobis mutandi voluntas non insit, quæcumque sit externarum circumstantiarum varietas, nulla in nobis mutatio accidat: prædictorum igitur effectuum nulla alia esse, aut assignari potest caussa, nisi vera actio animæ in corpus.

620. Argumentor 8. Quod si physicis argumentis, quæ hucusque sumus prosecuti, ad physico-moralia, & physico-Theologica gradum faciamus; non pauca sane aut parvi momenti absurda ab harmonia præstabilita profluere apparent. Non is ego sum, qui scientiam sacram in humanæ philosophiæ subsidium advocem: propria esse nosco iis scientiis confinia, quæ transgredi ad arbitrium non liceat: & hinc nullos physicos effectus in tota qua late patet naturalis philosophiæ amplitudine ex rebus sacris, divina, aut humana auctoritate confirmo. Præterquam tamen quod sua utrique scientiæ communia sunt aliquando confinia, cum de quibusdam principiis agitur, ad utramque partem pertinentibus; eam modo nos philosophiæ

partem versamus, *Theologiam naturalem* nuncupatam, quæ non objecto, sed sola agendi ratione a Theologia proprie dicta distinguitur. Jam vero si vera est harmonia; quoniam in animam illiusque actus nihil prorsus agit corpus: quid ergo de concupiscentia carnis, quid de labe, seu peccato originali dicemus? unde est communis humanæ speciei infectio; si animam inficere non potest humanum corpus? Et primo quidem cum solus actus animæ sit peccatum, si nihil omnino ab humana carne, a corpore quocumque pati anima possit; neque a carne, neque per carnem haberi potest concupiscentia; neque a sensibus, neque per sensus excitari in anima possunt actus aliqui, aut anima in unum potius, quam in aliud objectum trahi, & allici: quæcumque videam, quæcumque tangam, quidquid me tandem aliquo modo afficiat; nihil hæc ad animæ statum, & actus: unde ergo est carnis, & sensuum concupiscentia? Unde mille illa hominum temperamenta? Unde quod unusquisque nostrum fere semper secundum corporis temperamentum, atque indolem agat? Sunt ne humanæ animæ specie inter se aut genere differentes, cum infinita, quæ illarum est, indolis, genii, inclinationum, atque passionum multiplicitas, atque differentia, non a corporibus, sed ab animarum ipsarum fundo repetatur? Hæc sane hujusmodi sunt quæ harmonistas omni ex parte implicant.

621. *Secundo*: omnes, & quicumque motus, atque gestus in corpore sunt plane innoxii, atque indifferentes: præterquam enim quod sunt omnino necessarii, mechanici, a caussa tantum necessaria mechanica, machina automata provenientes; omne autem necessarium sit ipsamet necessitate innoxium: ab universis corporum motibus & gestibus, quicumque tandem illi sint, nihil mali, nihil etiam boni derivari in animam potest. Quæcumque objecta turpia videas, & tractes, quoscumque gestus immodestos præsens aspicias, nihil inde periculi in virtutem, in animam innocuam derivabitur: nihil incautæ juventuti ab hisce omnibus timendum est periculi: nonnisi pueriliter ab hisce sensuum oblectamentis cavendum est. Quidquid in contrarium homines clamitent, & ad fastidium usque juventuti semper prædicent; pura id sunt infantiæ educationis præjudicia: materialia illa obje-

objecta, sensuum oblectamenta, turpes gestus, fracti, atque inhonesti motus vana prorsus sunt innocentiæ spectra, & compositorum morum terriculamenta. Quidquid mali post visos ejusmodi motus, turpes gestus, scandalosa objecta, atque noxia sensuum oblectamenta in mentem subit, & animum percellit, subiret pariter atque percelleret, etsi nulla hujusmodi vidisses, sentires, agnosceres. Non illa scilicet in te agunt: nihil animæ corporique tuo commune est: iisdem moribus, quibus medio in lupanari vivat libidinosa, & effrænis juvenis, medio etiam in sanctuario viveret. Ista cum legis, modestissime Lector, atque ab harmoniæ systemate prono alveo descendere animadvertis, a te ipso quære, potestne harmoniæ hypothesis proponi, quin prudentium hominum, atque honestorum aures perhorrescant!

622. 3. Nullo ergo modo caro infecta inficere potest animam: concupiscentia, peccatum Originale, propensio in oblectamenta, tot vitiosæ passiones in malum semper inducentes nostras hominum animas pariter afficerent, flecterent, traherent, inficerent, si nullum haberemus corpus, sed puri tantum existeremus spiritus cogitantes, atque modo inficiunt. Quantæ hinc absurdæ enascuntur consequentiæ? *Quarto: Quietismus* universali consensu damnatus, in harmoniæ hypothesi, si qua in alia sententia, adstrui videtur. Si enim quæcumque in corpore nostro fiant, ad animam nihil spectant, in animam nullo pacto agunt, & ab illa neutiquam derivantur; illius actus inficere non possunt. Si hæc, inquam, semel statuantur, quæ sunt harmoniæ pars; quis est, qui facile ab ipsis non deducat, quæcumque igitur in corpore nostro, in corporeo homine fiunt, nihil a spirituali homine, ab anima nostra curari debent; corpus & anima seorsim res suas agunt: animæ candor, atque innocentia a corporeis quibuscumque passionibus, motibus, gestibus non maculatur: nihil igitur anima de corporis functionibus, de iis, quæ in terreno homine fiunt, aut a corporis machina peraguntur, sit sollicita: ea omnia non curet, neque impedire adnitatur: patienter illa omnia ferat, quæ neque illam tangunt, neque ab illa impediri ullo modo possunt: en purum putum quietismum ab harmonia sponte deductum.

623. Quinto tandem, ut alia omnia omittam, quæ

infinita sunt, nihil carnis macerationes, pœnæ, afflictiones, jejunia virtutem juvabunt, inutilia hæc omnia sunt religionis præjudicia anilibus mentibus digna, ab vulgari, & rancida philosophia originem ducentia. Hæc omnia harmoniæ consectaria cum universali omnium sanctorum patrum, & christianorum doctrina, usu, sensu conferant harmonistæ, & utrum sibi cohæreant, atque consentiant, ipsimet per otium examinent. Scio male a *Christiano Wolfio* mulctari, qui harmoniam præstabilitam cum religione, & theologia committunt. Hebetioris ingenii homines ab illo habentur, quicumque scrupulum harmonistis faciant, religionem, & sacra objiciant, philosophiam illi non capiunt, crassiori ingenio præditi. Hæc & alia quibus philosophica eruditi scriptoris bilis nos humaniter, atque urbane recipit, desperatæ caussæ argumentum existunt: risum potius, atque commiserationem, quam iracundiam in nobis excitant. Quandoquidem enim per *Vvolfium* ipsum sua hæc convicia harmonicæ machinæ VVolfianæ phænomena existunt, quin in partes hominis anima adducatur; lubet animi caussa calumniantem machinam philosophice contemplari: quo pacto VVolfianum horologium automaton hæc scribat, quæ a nobis non harmonistis citra injuriam, & contumeliam non possunt. Non postrema hæc est harmoniæ laus, atque harmonistarum privilegium, illa omnia facere, quæ alii extra harmoniæ claustra degentes non citra culpam dicere aut scribere possumus.

PROPOSITIO XIV.

624. *Systema etiam caussarum occasionalium neque est philosopho dignum, neque verum.*

A *Leibnitio* ad *Cartesium*, & *Malebranche*, ab harmonia ad caussas occasionales descendamus. Prima propositionis pars facile patet ex efficacissima illa omnium hujusmodi systematum, atque novarum idearum rejectione, *proba*. Nulla res creata, inquis, alicujus effectus caussa existit; quidquid effectuum in tota hac rerum universitate producitur, Deum tantummodo habet caussam: Deus unus est prima, & unica omnium rerum, effectuum, phænomenorum caussa: Solius Dei est

est agere; creaturæ pura tantum occasio esse possunt, caussæ munus numquam agunt. Nova quidem sunt hæc, & communi hominum sensui opposita: *proba* igitur: quamdiu ad id non devenerimus; rem philosopho dignam non proponimus. Quid *Cartesius*, & *Malebranche* pro opinione sua probanda in medium adducant, statim proponam, & nullius plane momenti esse constabit.

625. *Secundo*: Philosophiæ ipsius notio rem probat: quid sane est Philosophia, nisi cognitio rerum, effectuum, phænomenorum per suas caussas? communis hæc est philosophiæ definitio ab omnibus admissa: mirabile hoc & amplissimum creatarum rerum spectaculum inspicientes, & infinitos fere effectus, nova phænomena passim, & quotidie demirantes, quorum generalia capita per totam physicam summatim perstrinximus, illuc statim, natura duce, rapimur, ut quæramus, quænam vero est tantarum rerum, & phænomenorum in oculos subinde incurrentium caussa? Naturalis hæc est humanæ mentis indoles, proprium philosophantis munus. Æque autem in hac definitione comprehendimus cum materialis, tum rationalis mundi phænomena, effectus varietatem. Infinita quidem quotidie fiunt nova phænomena in materiali hoc mundo rebus tantum mechanicis comprehenso: innumera etiam a nobismetipsis, a mente, & voluntate humana cum intra animam, tum etiam extra nos ipsos physica, moralia, mixta effecta peraguntur. De rebus hisce universis natura acti philosophamur: unde hæc omnia sint, quænam illorum caussæ existant, diligenter quærimus: effectuum leges, circumstantias omnes exploramus, criticæ regulas nobis prudentes statuimus, ne in quærendis caussis a scopo aberremus.

626. Hæccine vero omnia, naturalem hunc sciendi ardorem nobis a Deo datum, naturalia hæc omnia studia, & indolem vana, & inutilia esse? Ita sane est, si occasionalistarum statuatur, atque invaleat hypothesis. Quidquid humanæ mentes cogitent, voluntas nostra decernat, homines agere videantur, naturales quæcumque caussæ materiales efficiant; totum id, inquam, caussam unicam habet Deum; creaturæ nihil prorsus agunt, quantumvis inconsultis philosophis vere agere videantur. Operosa illa totius humani

generis ad rerum caussas inveniendum investigatio, & labores, hac tandem occasionalistarum sententia finem habuere, nulla creatura est alicujus effectus caussa. Ita enim vero maximo philosophorum beneficio, & laboris, & temporis compendio unicam jam rerum omnium caussam habemus. Phænomena, & effectus quoscumque in medium producas, illorumque caussas quæras; *Deum* subjiciam: eoque pacto quin libros evolvas, oleum, & atramentum sapias, Doctor evades. Utrum vero hæc philosophandi ratio, & unde illa orta est, principium sit philosophanti homine dignum, ipse per otium examines. Philosophiam ab occasionalista definiri oportet, *cognitio rerum per suas occasiones:* omnesque philosophorum labores in quærendis rerum omnium occasionibus impendi.

627. 3. Pressius tamen ad rem nostram, atque de sola humanæ animæ activitate in corpus loquendo, ex propria met cujuscumque hominis conscientia occasionalistarum sententia rejicitur. Nihil sane mentem nostram, atque voluntatem agere, nullos actus elicere, nihil efficere in corporis motus, statum, & modificationes, conscientiæ nostræ opponitur. Toto scilicet mentis conatu in nosmetipsos animadvertentes, quidquid in contrarium adnitamur, facile comperimus, animam nostram velle, nolle, judicare, ratiocinari, dubitare, ad intelligendum conari, adniti, activam adhibere vim, ob cogitandi, atque res abditas enucleandi contentionem nos sæpe fatigari: hæc omnia, inquam, universi homines, ipsemet *Malebranche* propria conscientia agnoscunt, atque experiuntur: nisi autem hæc *agere* nominemus, propriam *agendi* ideam non habemus. Magna illa mentis contentio, nisus, atque ad percipiendum conatus, nihilne veræ activitatis in se continet? Purum ne illud est ideas a Deo creatas in mente suscipere? Ad gratuita hæc Numinis dona recipiendum nullo mentis conatu opus esse apparet. Si hæc omnia dicat *Malebranche* communia omnium hominum præjudicia; dicat etiam, amabo, in quonam illa a conscientiæ testimonio differant. 2. Cum omnium hominum cujuscumque sectæ, religionis, patriæ, educationis commune id experimentum sit, cum ne ipse quidem *Malebranche* ab illo se expedire unquam potuerit; non bene id præjudicium, sed purum

purum potius naturæ judicium, & rationis testimonium est nuncupandum.

628. Majoris tamen explicationis gratia argumentum fere idem alio modo proponamus, atque ulterius promoveamus. Malebranchii opinio in hoc tantum principio innititur, *Creaturæ nihil producere seu efficere possunt*, ex quo sponte fluit, unum Deum veram esse caussam, occasiones dici tantum posse creaturas. Si ergo falsum demonstretur, nihil agere posse creaturas, imo & illas reapse activa virtute præditas esse constet; non modo occasionalistarum sententiam precarium esse systema constabit, sed ipsius etiam falsitas liquido apparebit. Primum autem facile constat. Nullam a Deo produci posse creaturam agendi virtute præditam, omnipotentis Numinis ideæ plane opponitur. Quid enim? omnipotentis Dei non esse, caussam aliquam efficere? Fieri ab omnipotenti Deo posse, quidquid idearum contradictionem non implicat, omnipotentiæ ipsius idea fuse superius exposita evincit. Unde vero, amabo, idearum contradictio, si aliquid agunt creaturæ? Estne de creaturarum essentia, seu notione *nihil agere?* Satis hoc unum creaturæ est, quidquid est, quidquid agit, quidquid potest, omnia habere & esse ab alio, ut creaturæ notionem intelligamus. Neque igitur creaturarum notio, neque aliqua idearum oppositio creaturarum inertiam probat. *Malebranche*, & Cartesiani cæteri, qui ideis tantum claris fidendum esse merito prædicant, atque ad idearum claritatem semper provocant, confusas etiam aliquas oppositionis ideas producant, & victam dabimus quæstionem. Omnipotentia deinde, quæ nihil, nisi inertes creaturas efficere possit, a vera, & digna omnipotentis Numinis idea toto cælo removetur. Omnipotentiam enim parumper concipe, quæ non modo inertes creaturas, sed activa etiam virtute pollentes, perfectiores etiam, & perfectiores in infinitum, a Deo tamen vim suam accipientes, ab eo semper in omnibus actionibus pendentes producere possit: magnificentius sane, & majori dignitate de Deo sentis, quam si ad inertes tantum effectus illam se se extendere concipias: neque in illo concipiendi modo aliqua apparet idearum oppositio. Clariora hæc sunt, quam ut in iis ulterius probandis diutius immorari existimem: & hoc primum.

629.

629. Jam vero ejusmodi esse creaturas a Deo in præsenti rerum providentia creatas, & constans experientia, & intima omnium hominum conscientia ostendunt. Potuit enim vero Deus eas creaturas condere, quæ caussarum munus agerent: hoc primum modo demonstravimus. Eam sane in rerum naturalium vicissitudine phænomenorum rationem, & constantes leges observamus, eam intra nos etiam activitatem conscii animadvertimus, quæ & creaturarum vim agendi demonstrent, & sine illa stare non possent. Equidem si corpora, & creati spiritus caussa esse statuantur; perinde effectus & phænomena omnia rerum edita apparent, atque modo observantur. Neque stare etiam potest intimum conscientiæ nostræ testimonium, constansque omnium hominum in rebus edendis observatio; quin a creaturis naturalia effecta, atque phænomena reapse edantur, quod erat alterum: atque hæc duo non leve propositionis argumentum existunt.

630. Quartum argumentum ab humana libertate desumitur. Si duo hæc constent, *Primo* animam humanam esse liberam, *Secundo* in libertatis idea veram activitatem, atque caussæ rationem comprehendi; tum vero creaturas, nominatim vero humanam mentem aliquid agere, veram caussam existere; occasionales tantum caussas non esse, negari amplius non potest. Primum nos statim evincemus; neque Malebranchius libertatem in hominibus inficiatur: alterum solummodo superest probandum. Primo quidem liberi esse, aut dici nequeunt motus quicumque voluntarii, aut actiones nostri corporis; fiunt enim tantummodo a Deo in humano corpore, quin anima nostra ejusmodi motus efficiat, aut aliquo modo in illos agat. Si autem anima nil agit in corpus, & nullum imperium exercere potest in quascumque corporis actiones; illi sane motus non sunt effectus humanæ caussæ liberæ, aut necessariæ. Dici ne tamen poterunt liberi hujusmodi motus ratione illorum humanæ voluntatis actuum, quos ipsa libere ponit, & quibus positis, veluti occasione data, motus in corpore actibus voluntatis respondentes ponuntur? Sed neque hac etiam ratione humanorum motuum libertas adstrui aliquo modo potest: id quod multiplici de capite conficimus. *Primo* enim neque etiam interni voluntatis actus, externorum motuum

occa-

occasio, humanæ voluntati liberi esse possunt: ut modo probavimus: ex quo interim assumto ita argumentum deduco: quandoquidem anima humana voluntarios motus non efficit, eatenus erit libera, quatenus est libera occasio, seu externorum motuum occasionem ponit liberam: at humana voluntas, neque hujusmodi occasionem, internos scilicet actus, producit, neque illos libere ponit. Humanam animam suos actus, corporis motuum occasiones, non efficere, ipsissimum est Malebranchii dogma, quod in præsentiarum potissimum evertimus. Eo autem posito dogmate humanam amplius non intelligi libertatem, ulterius est conficiendum: quodsi semel probemus, non externorum motuum, sed internorum etiam animæ actuum libertatem de medio esse sublatam, erit demonstratum, quod generatim probandum assumsimus. Quidquid nihil agere omnino potest, liberum esse, aut dici nequit: si actum quemcumque, aut motum datum nulla ratione efficere, neque impedire, neque ponere nullo modo valeo; ad hujusmodi actum, aut motum liber esse, aut nuncupari non possum: neque hujusmodi effectus mihi referri, aut tribui debent. Potentia enim, quæ nihil agit, nihilque agere valet, potestne esse, atque nuncupari potentia libera? potest ne etiam esse, aut vocari potentia? Purum ne pati, purum illuminari, volitionem, & nolitionem in se se pure recipere, quin in illuminationem ipsam, in volitionem, aut nolitionem aliquo modo agat, quin aliquid efficiat, est ne verum, atque proprium potentiæ liberæ exercitium? Secundum Malebranchium animæ humanæ perinde ut ideas, atque cognitiones rerum non efficiunt, aut producunt, sed eas tantummodo a Deo productas in se se recipiunt, iisque illuminantur, objecta intelligunt, percipiunt, vident; ita etiam volitiones, atque nolitiones rerum non producunt, sed hujusmodi actus a solo Deo productos recipiunt, iisque in se se receptis objecta velle, & nolle dicuntur (*).

631.

(*) Non modo corpora non possunt esse veræ caussæ ullius rei; mentes etiam nobilissimæ in eadem versantur impotentia. Nihil possunt cognoscere, nisi Deus ipsas illuminet: nihil possunt sentire, nisi Deus ipsas modificet, nihil possunt velle, nisi Deus ipsas ver-

631. Pari modo in ſpiritibus, atque in corporibus ſecundum auctorem ipſum agendi potentia eſſe non poteſt (**). Bene eſt: ideas rerum recipere, per illas illuminari, atque objecta percipere, mentem noſtram ad hujuſmodi ideas non conſtituit potentiam liberam: unde ſi pari ratione objectorum ideas, atque voluntatis actus anima recipit; pari etiam ratione ſicut libere non percipimus, judicamus, ratiocinamur; ita neque libere volumus, aut nolumus. Rurſus quod mens noſtra objectorum ideas cudere ipſa, atque pro libitu ſuo efficere, & gignere in ſe ſe nequeat, caput unum eſt, ex quo ipſa libera idearum potentia non exiſtat. Fac enim vero, aut parumper pone, quod humana anima ideas pro lubitu efficiendi activam potentiam habeat: tum vero liberam mentem nullus inficiaretur philoſophus: at paria omnia in humana voluntate, atque in mente exiſtunt: neceſſarium etiam illud libertatis caput ſecundum adverſariorum hypotheſim in voluntate deſideratur: quænam inde deducatur conſequentia, luce clarius exiſtit. Summa rei eſt, ad libertatem activa electio requiritur: libertas ſine actione eligente eſt vocabulum idea deſtitutum: quicumque & eligere, & rem electam agere non poteſt, quocumque nuncupetur nomine, liber non eſt: a primo igitur ad ultimum aut humanæ voluntati verum cauſſæ munus tribuas, atque *occaſionum* hypotheſim rejicias, aut creatam libertatem e medio tollas, aut aliam libertatis nomine ideam ſignifices.

632.

verſus ſe moveat = *Malebr.* de Inquir. verit. p. 2. cap. 3.

(**) Vis movens corporum non eſt in corporibus, quæ moventur; cum vis illa movens nihil ſit aliud, quam voluntas Dei. Itaque corpora per ſe omni actione deſtituta ſunt: & ubi globus motus alium ſibi obvium movet, primus ille globus alteri nihil communicat, quod habeat in ſe: ipſe enim non habet impreſſionem, quam communicat . . . . omnes naturæ vires nihil aliud ſunt, quam Dei voluntas... omnia movet, & ſic omnes, quos videmus effectus producit... Corpora vero ipſa nihil agunt. Nullæ igitur ſunt vires, potentiæ, cauſſa vera in mundo ſenſibili, &c. *Malebranch.* de Inq. verit. p. 2. Cap. 3.

632. 5. Quintum argumentum ab humanarum actionum malitia principio, seu caussa deduco. Verum parumper sit, humanas voluntates, corpora omnia nihil agere, unam effectuum omnium caussam esse Deum: interim mortalium aliquis, ut passim fit, eo voluntatis actu injusto afficiatur, quem lethalem culpam merito nuncupamus. Hac rerum constitutione philosophemur: cuinam, amabo, prædicti actus malitia tribuetur? Quisnam peccati auctor? homo ne? at nihil plane agit, mere passive se habuit, productos a solo Deo actus in se recepit: hominis autem nihil plane agentis aliqua ne potest esse culpa? peccatum est actio: actio est solius agentis; agens est solus Deus; nulla fuit actio hominis; nihil egit: quid ergo: homo ne nihil agens, an potius Deus omnia agens, dictarum actionum auctor est? At homo, inquis, positi a Deo voluntarii actus occasio extitit; occasionem posuit, quam vitare debuerat. Bene est: pedetentim tamen philosophemur: esto, demus id parumper, consecuti actus iniqui occasio extiterit homo misellus. Quid tamen inde; est ne id satis, ut consecuta actio homini tribuatur? Qui ita rem statueret, in difficultatum labyrintho se se implicaret, & humanarum actionum, atque legum œconomiam confunderet. Deus unus a vobis statuitur verus actionis auctor, atque unica effectus mali caussa & quidem caussa summe libera: ab uno Deo actio illa dependet, ab illo tantummodo ponitur, & totum suum esse accepit; cum ad id nulla lege teneretur Deus: quemdam sulummodo humani corporis motum, tamquam occasionem expectavit, qua posita, & nihil in actum faciente, liberrime illum posuit Deus: nihilominus tamen non Deo, omnia ponenti, sed homini nihil facienti referendus est actus malus? apage moralitatis principium. Hominem tamen occasionem posuisse, parumper permisi: quid tamen, si ne id quidem possit esse in hypothesi contraria verum? ita res se habet: occasio actus voluntatis mali, aut quidam fuit in corpore motus, aut respondens in mente idea: illa tamen idea, ille motus, & quidquid aliud occasio per te dicatur, ab homine non fiunt; a Deo tantummodo, tamquam ab unica caussa ponuntur; nihil in illos effectus, in illas occasiones homo agit: ipsissima hæc est, quam tenes, doctrina: homo igitur, neque actum, neque

actus

actus occasionem posuit: neque vera est, neque occasionalis caussa. Quamcumque aliam occasionem prioris actus iniqui, aut prioris etiam occasionis statuas; fuit illa etiam effectus a solo Deo, tamquam ab unica ejus caussa, productus, nihil in illam occasionem hominis animus, mens, aut voluntas contulerunt. Et ut rem totam paucis absolvamus; ab ultimo, qui modo fit, effectu ad primum usque ascendendo, longissimam etiam totidem occasionum seriem ad primam usque statuis: omnes illæ occasiones fuere etiam actus; effectus etiam singuli succedentium aliorum effectuum occasiones extiterunt: utraque series in unam confunditur: integra effectuum series fuit etiam integra occasionum series, quoad tandem ad primum deveniamus: utramque illam seriem unus posuit, atque effecit Deus; unus ille est omnium illorum actuum, omnium occasionum vera caussa, atque unicus auctor; nihil actus, nihil actuum occasiones etiam ipsæ ab humana mente, a voluntate, a corporibus, a creaturis dependent: quoniam igitur solus Deus & humanæ voluntatis actus, & omnes illorum actuum occasiones posuit; homo vero neque actus, neque actuum occasiones ponit, aut efficit; a sincero veritatis amatore, ab adversariorum quocumque quæram, qui tandem fieri possit, ut in Deum non referatur tota humanarum actionum malitia? quonam pacto homo nihil agens & peccatorum sit auctor, & pœnas luat?

633. Quæ pro sua hypothesi adstruenda adducit *Malebranche*, sunt sequentia: *primo*, hæc una hypothesis, atque unionis inter corpus & animam intelligendæ, atque caussarum omnium actiones explicandi ratio & brevior, & facilior, & magis simplex existit: simpliciori autem via semper agit natura, ut ex omnibus naturæ legibus edocemur. 2. Creatura nihil de novo sibi potest producere: nulla enim res aut sibi, aut alteri dare potest, quod non habet: atqui & rerum ideæ, cæteræque mentis operationes, & omnes etiam voluntatis actus aliquid proculdubio sunt, atque de novo productum, quod prius non erant: deinde hujusmodi acta, qualiacumque tandem illa statuantur, anima antea non habebat: idemque est de quibuscumque aliis creaturarum effectibus: neque igitur ani-

anima, neque alia quæcumque creatura alicujus effectus vera caussa esse possunt.

634. 3. Animam nostram reapse agere, actus suos efficere, & activa virtute producere, conscientia sensuum maxime probamus: præjudicium, inquiunt, & mera fallacia. Ita rem esse existimamus, atque dicimus, sentire, atque videre nobis videmur, quod nullam aliam sentiamus caussam, a qua actus illi in anima nostra veluti irradiantes producantur: licet igitur mens cogitet, atque objecta cognoscat; suas tamen cogitationes non elicit. 4. Quid sint voluntatis actus, quid eorum natura, quid objectorum ideæ, quomodo producantur, in anima recipiantur, conserventur, pereant, mens hominum prorsus ignorat: quis mortalium est, quem hæc omnia omnino non lateant? Quomodo illud agemus, cujus ne ideam quidem habemus? Ab Artifice illam construi machinam, cujus ingenium, atque ideam antea non habeant mente conceptam? 5. Occasionalistarum hypothesim ab notione atque eversione humanæ libertatis improbamus: si ergo & libertas, & occasionalismus conveniant; totum ruit argumentum, cui magnopere fidimus: conveniunt autem, si qua maxime. Si Deus humanam voluntatem ad bonum generatim impellat, amorisque actum in anima eliciat, quo ipsa in bonum tendat; humana vero voluntas amoris actum, atque impressionem a Deo productam ad peculiare bonum determinet; nullum quidem voluntatis actum anima proprie efficit, atque producit; est tamen voluntas libera, quod actum, & impressionem ad bonum in ipsa a Deo positam, ad unum præ alio singulare objectum bonum pro lubitu voluntas statuat & convertat. Si ergo Philosophus Occasionalista hanc rerum constitutionem ponat; & hypothesim suam, & humanam libertatem adstruet. 6. Esto, aliquam animæ humanæ activam potentiam concedamus, qua actus suos spirituales producat, mente atque voluntate agat; eaque ratione humanam libertatem in tuto collocemus, quod scrupulum tantopere movet & invidiam Occasionalistarum hypothesi creat: quod tamen anima spiritualis, & corpus in se mutuo agant, atque physicum inter se commercium exerceant, id vero est, quod neque intima conscientia, neque libertatis nostræ notio, atque existentia, ne-

que

que ex adductis superius rationibus aliqua evincere satis potest. Si ergo Malebranchii sensum prætermittamus, & hanc unam teneamus Occasionalistarum hypothesis partem; tum vero, & omnes difficultates solvuntur, & felicius, quam philosophi cæteri, corporis, & animæ commercium, atque unionem explicamus.

635. Atque hæc illa sunt, quæ pro relata hypothesi adstruenda ejus auctores in medium afferunt, aut afferre possunt: absit enim, ut illorum, quibuscum res mihi est, argumenta dissimulem, atque veritatem culpabili potius silentio, quam veris responsionibus confirmem.

636. *Ad primum*: æque Deo facile extitit, unam, aut alteram, aut mille alias rationes, & hypotheses possibiles in mundo statuere: Omnipotenti Deo omnia possibilia sunt æque facilia. Quod de brevitate, & simplicitate dicitur, etsi a nobis daretur, quid inde ad rem suam inferre possint, non video: possibiles alias, & alias esse condendarum rerum hypotheses, nullus negabit, nisi Optimismum insimul statuat, quem falsum esse demonstravimus: falsum igitur est, naturam seu Deum illa ratione mundum constituisse, quæ sit omnium possibilium simplicissima, aut brevissima: id unum verum est, ex illis legibus, atque agendi rationibus, quæ in hac caussarum providentia existunt, simpliciores a natura adhiberi, dum de unius tantum caussæ actione loquimur. Urgeret tantummodo argumentum, si verum esset, Deum ratione, & legibus omnium possibilium simplicissimis, & brevissimis semper agere: nisi hoc ponatur, aut demonstretur verum; liberum Deo erit compositis utcumque legibus mundum constituere, servare, gubernare, nullumque ex legum, aut rationum simplicitate, atque brevitate ad rei veritatem assumi argumentum posse. Cum hac responsione argumentum plane diluatur, inutile illud, aliis disputandum relinquimus, breviorem ne, aut simpliciorem Occasionalista, cæteri philosophi statuant hypothesim; neque enim majorem actionum simplicitatem Occasionalistis concedent alii.

637. *Ad Secundum*. Quod Secundo loco opponitur, est pura petitio principii: omnes actus tum mentis, tum etiam humanæ voluntatis aliquid physicum existunt, & in anima antea non erant: utrumque admit-

mittimus. A nulla autem creatura aliquid physicum effici posse; id vero est, cuius opposit um in superioribus fuse probatum adstruimus: id igitur citra ullam asserendi rationem assume e, est petere principium. A creaturis aliquid effici posse, plurimosque effectus reapse fieri, asseruimus, & assertu m probavimus: nihil ab iis produci potest, inquis; proba, unde id conficis? nulla caussa sibi, aut alteri dare potest, quod non habet. Respondeo: Huius effati sensum jam superius dedimus. Principium in omni sensu universim acceptum est falsissimum: aliter neque etiam Deus creaturam aliquam crearet, mundum non efficeret. Numen scilicet, spiritus purissimus, atque æternus, in se se non habet, nisi virtute, atque perfectionis supereminentia, corpora, mundum, creaturas. Metaphysicum illud effatum eo tantum sensu est verum, *nihil dat, quod in se nullo modo habet*: quo quidem in sensu ita argumentum prosequi debuisset; atqui anima nullo modo in se habet suos cum mentis, tum voluntatis actus, neque corporis etiam motus: quod quidem asserere, iterum est petere principium: oppositum enim & superius, & in propositione, & in adductis fundamentis adstruitur. Animam nostram activa efficacia tum suos actus, tum voluntarios corporis motus producendi præditam, atque donatam a Deo esse confecimus: id ipsum vero est, illos actus, & motus in se se virtute continere.

618. *Ad tertium*: Quidquid tertio loco nobis opponitur, omnino negamus. Quod manifestum conscientiæ testimonium veritatis criterium existat, fuse in Logica demonstravimus, Si conscientia nostra in errorem tandem nos induceret; falleret nos utique Deus, universalis tum esset Pyrrhonismus, nulla amplius superesset assequendæ certitudinis spes, aut ratio: & hoc primum. Intimum vero in nobis inesse conscientiæ sensum, quo non modo nos cognoscere, velle, nolle, sed etiam cognitiones nostras studio, laboreque nostro comparare, voluntatis nostræ actus ponere, mutare, tollere, elicere, ad omnia hæc nisum, contentionem adhibere, hoc est, agere, intimo conscientiæ lumine docemur: & hoc alterum: ex quibus duobus totius argumenti falsitas apparet. Si hoc inter communia, & falsa præjudicia annumeretur; quid

tandem erit a præjudiciorium albo expungendum, atque inter indubia numerandum?

639. *Ad quartum :* Quarta difficultas ipsis etiam adversariis solvenda: nihilque ab illa concludi posse, una nobiscum conveniant, oportet. Secundum *Malebranche* humana voluntas impressam sibi a Deo impulsionem, seu actum, quo ad bonum generatim fertur, a malo generatim avertitur, ad peculiare hoc vel illud bonum, ad hoc vel illud malum vi propria convertit: mens igitur humana non modo se ipsam, atque actus nescit, sed quid præterea rei sit, amorem, aut odium ad hoc vel illud objectum convertere seu statuere, quid sit ipsa conversio, quomodo fieri illa possit, quali lege, ordine, ingenio hæc omnia in nostræmet mentis fundo latentia se se explicent, evolvantur, fiant, plane ignorat: aut igitur mens humana id agit, cujus fundum ignorat, aut ne ipsum quidem amorem, odium, aliosque actus ad diversa objecta convertit. Cum secundum ex Malebranchio ipso falsum sit; velit nolit tenendum ipsi est primum, suumque sibi solvendum est argumentum. Respondeo igitur directe, quid rei sint nostræmet mentis, atque voluntatis actus, quid idea, amor, odium, non plane a nobis cognosci admitto. Nullam autem caussam opus aliquod aut effectum agere, quem penitus, atque intime non agnoscat: id vero est, quod nego. Oppositum proba: ut id tamen conficias, hæc tibi insimul statuenda sunt: *Primo*, nullam esse posse caussam, non cogitantem, seu non cognoscentem, ac proinde nullam caussam materialem, & mechanicam existere in rebus posse. 2. Ad notionem caussæ non sufficere, quod virtutem agendi habeat; sed ex duabus hisce ideis, agendi virtute, atque cognitione, omnis caussæ notionem constitui. Horum primum Divinæ Omnipotentiæ injuriosum plane existit; cui materiales caussas creandi negatur virtus: secundum rerum notiones non modo communi sensu, sed conscientia etiam, atque experientiis probatas evertit.

640. Ad rem igitur respondeo, si caussa virtute prorsus sua ab alio non accepta, & citra omnem omnino dependentiam agat, quali sane ratione unus agere potest Deus; verum est argumentum: falsum tamen, si caussa per vim ab alio derivatam operetur, apud

apud quem perfectissima sit omnium agendarum rerum cognitio, atque clarissima idea. Hic vero est omnium creaturarum casus: Deus unus, qui infinita scientia, atque omnipotentia præditus omnia cognoscit, virtute propria agit: Creaturæ omnes vi tantummodo derivata effectus suos agunt, & activi instrumenti vice perfruuntur. Omnipotenti Deo infinite libero, & sapienti a nemine negabitur, eas creasse posse creaturas data a se agendi virtute præditas, quæ certos quosdam effectus agendi facultatem habeant, eos tamen effectus eatenus solum cognoscant, quantum illis est ad propriam conservationem, aut felicitatem necessarium: licet alioquin penitissimam earumdem rerum cognitionem non habeant. Si hæc omnipotenti Deo negare non possumus, si hujusmodi esse creaturarum conditionem omnia persuadent, & ipsa etiam conscientia docet; quid in hisce scrupulis excutiendis immoramur?

641. Est tamen inter humanos etiam artifices aliquis, ulterius contendis, qui opus aliquod, machinam quamcumque aggrediatur, quam prius clare in mente depictam non habeat, qui faciendum opus penitissime non perspiciat? Si ergo humanæ, si creatæ aliæ caussæ agunt; is sane unus esse posset, atque deberet earum agendi modus; quandoquidem igitur effectus suos non agnoscunt, quid agant, plane ignorant; hoc unum dicendum superest, creaturas nihil agere. Respond. Hoc argumentum ab adversariis in nos adduci non potest, quorum sententia neque mens, neque manus aut corpus artificis aliquid in cogitando, aut construendo opere agunt, aut agere possunt, ut & superius demonstravimus, & adversarii ipsi statuunt. Secundum aliorum Philosophorum mentem quod ab omnibus tenendum est, ad sequentia reducitur; aliquæ in prædicto artificis casu, & infinitis aliis similibus agnoscit artifex; quamplurima etiam ignorat: suummet agere, & esse, proprias suæ mentis, atque manuum actiones nescit; instrumenta tractare didicit; quæ tamen instrumentorum natura, partes, & elementa existant, nescit: uno verbo, factum a se onus superficie tenus perspectum habet, operis fundum non intuetur; nullum est humanum opus humanæ mentis effectus, in cujus constructione plurima non ignoremus. Ad rationem caussæ, ut jam dixi, non cogni-

 tio,

tio, sed activa virtus tantummodo requiritur, & sufficit; hic sane est omnium hominum sensus, hæc caussarum notio: quam si neges, eam negandi rationem adducere opus est, quæ non modo omnium hominum sensum, sed & superiora alia argumenta a nobis adducta convellat. Iis equidem ducti argumentis duplex caussarum genus ad rem nostram facientium agnoscimus: caussas cogitantes, effectus suos aliquo tandem modo agnoscentes; & caussas plane materiales, efficiendi quidem, non tamen agnoscendi virtute donatas. Quæ ad secundam classem pertinent, sunt omnes necessariæ, effectusque suos agunt, quin intelligant: in iis igitur argumentum fallit: quæ prioris sunt ordinis, aliæ quidem sunt necessariæ, aliæ item liberæ. Ad effectus libere agendos aliqua requiritur ponendi effectus cognitio, caussæ ipsi proportionalis. Unus Deus est, qui non modo virtutem, sed & cognitionem agendarum rerum habeat infinitam, creaturæ omnes infinite ab illa perfectione distant: illam habent & virtutem, & cognitionem agendi, quæ creatis, finitisque caussis secundum datæ perfectionis gradum sufficit.

642. *Ad quintum*. Difficultas ad summam hanc reducitur: stare potest humana libertas, quantumvis nostra voluntas actus suos non eliciat, non agat, sed eos in se se a Deo productos in objecta postea dirigat, & statuat: hujusmodi esse potest caussarum occasionalium hypothesis: perperamque idcirco ex humanæ libertatis capite in dictam hypothesim argumentantur. Respondeo: Omnes huius argumenti propositiones negamus. Et primo quidem amor ille vagus sine certo objecto, modo ad unum, modo ad alterum dirigendus, & convertendus, quo scilicet modo Deum, summum atque infinitum bonum, modo peccatum Deo plane oppositum amem, ille, inquam, amor, aliique similes actus, quos adversariorum hypothesis aperte statuit, ita absurdi sunt, atque ab humana ratione alieni, ut admitti in philosophia nequaquam possint. 2. Huic etiam hypothesi contrarium plane est intimum conscientiæ nostræ testimonium: non modo nos cogitare, velle, nolle, conscii sumus: sed nos etiam agere, aliquid efficere, non mere passive nos habere. 3. Illa actus *directio* vel est aliqua actio voluntatis, & aliquid vere agere, vel est nihil agere: si primum; huma-

humanæ voluntati non amplius activitas, ratio, & munus caussæ negatur: si igitur humana voluntas, aut caussa alia quæcumque creata, aliquid valet *determinando* agere; aliquid etiam poterit efficiendo producere. Si secundum, si voluntas actus, atque impressas a Deo impulsiones determinando, immutando, convertendo nihil agit; nullam igitur habet libertatem; nihil ab illa dependet, pro lubitu suo nihil agit; rursumque adversarios semper urget desumptum a libertate argumentum.

643. Attamen, inquis, voluntatem ad unum vel alterum obiectum convertere, nihil physicum est, nulla vera entitas, ut dicitur, pura tantum modificatio exislit: voluntas igitur amorem in alterum objectum convertendo nihil producit, se ipsam tantummodo modificat: quæ quidem modificatio ad veram libertatem, non ad veram caussæ rationem sufficit. Resp. Quæcumque de tua illa voluntatis determinatione statuas; in idem plane recidunt *determinare* & *agere*, *determinatio* & *actio*, esse *liberum* & *electione agere*: omnes effectus, atque phænomena naturalia in puris modificationibus consistunt, ad puras modificationes reducuntur: nulla enim substantia aut res nova a naturalibus caussis efficitur, & in naturalium phænomenorum, & effectuum productione de novo gignitur: modificandi igitur virtute voluntati semel concessa, caussam evicimus; nihil aliud ad naturales effectus, neque ad caussæ rationem requiritur. Rursus si humanæ voluntati se ipsam, aut actus suos, vel impulsiones a Deo impressas modificandi efficaciam concedis: cum omnes voluntatis actus modificationes pariter esse dicamus; has etiam modificationes inducendi, veros scilicet voluntatis actus efficiendi, virtutem animæ nostræ negare amplius non potes. Hujusmodi modificationes efficere, est vere agere: eoque pacto & ad caussæ, & ad libertatis notionem constituendam sufficit.

644. *Ad Sextum:* Occasionalistarum hypothesis in hunc etiam novum sensum exposita, atque modificata argumentis superius adductis premitur: falsumque proinde est, quod in nos proponitur argumentum. Primo enim si humanæ, spirituali scilicet caussæ actus suos spirituales de novo in se ipsa efficiendi virtutem semel concedis, quin tamen modum; quo spirituales hujus-

modi actus efficiantur, qtidve rei sint, ulla ratione intelligat; nullum amplius caput est, ex quo animam in corpus etiam agere posse inficiere. Genere inter se differunt, dicis, corpus & anima, spiritus & materia: bene est: quid inde concludis? in corpus agere non posse animam? At neque etiam humana ratio, quo pacto corpus agat in corpus, quo pacto universum materialem mundum condiderit, moveat, in illumque agat Deus, purissimus spiritus, intelligit: hæc tamen, ab humana mente non intellecta, existunt reapse vera; potest igitur spiritus agere in materiam: velis, nolis, tenenda res est: quidni igitur per summum illum omnipotentem; atque infinitum spiritum fieri poterit, ut spiritualis etiam substantia a primo illo ente necessario creata in corpus agere valeat? posse non negabis: rem ita esse validissima conficiunt argumenta, quorum efficaciam humanæ mentis imbecillitas non enervat.

PROPOSITIO XV.

645. *Humanam animam in nostrum corpus agere, & vicissim a corpore ipso affici, plurima ab illo pati, veramque proinde existere inter corpus, & animam physicam actionem mutuam ratione, conscientia, experimentis constat: modus tamen, quo mutuum hoc exercetur commercium, nos penitus latet.*

Propositionis veritatem in Physica viventium fuse probavimus: non pauca etiam in Logica attigimus, quæ eamdem luculenter confirment cum de enthusiasmo, phanatismo, aliisque similibus argumentis disputavimus, quæ ex mutuo hoc animæ & corporis commercio pendent. Quamplurima in utroque loco phænomena exposuimus in nobis passim, & quotidie observata, quæ & physicum mutuum commercium confirmant, illius effectus existunt, magnaque ex parte constituunt. Si quæ in citatis locis de humani corporis motibus vitalibus, atque animalibus, de omnibus interni sensus functionibus, memoria, phantasia, imaginatione, deliriis, judicio, fatuitate, insomniis, horumque omnium in eodem homine mutationibus, de phanatismo, Enthusiasmo, & quamplurimis aliis ejusdem naturæ argumentis disseruimus, per otium relegas,

gas, de assertæ propositionis veritate non dubitabis. Juvat etiam humani corporis mechanismum, seu anatomiam habere inspectam; quod quidem in Physica Viventium exposuimus. Hæc vero omnia si serio animadvertantur; primam, & validissimam propositionis probationem suppeditant. Argumentum enim modo agitamus, quod & metaphysicæ & experimentalis etiam physicæ juris est; tum ratione, tum experimentis etiam evincitur. Idemmet homo, hoc est, eadem spiritualis anima infinitas fere in se ipsa mutationes patitur, pro variis corporis mutationibus, quin alia interveniat caussa. Satis est parumper animadvertere, quæ in singulis fere diei horis a frigore, calore, fame, siti, dolore, gaudio, satietate, febri in nos proveniant animi sensus: quænam pro diversis hisce corporis statibus, atque affectionibus in animæ nostræ actibus oriatur varietas: hæc vero omnia, quin corpus in animam agat, & vicissim?

646. *Secundo*. Si motus exercemus voluntarios, manum movemus, aut motam repente sistimus, quando volumus, quia volumus, quomodo volumus; si illa in nobis deficiente voluntate, manus etiam motus, aut quies interrumpitur, voluntate iterum posita, iidem etiam repetuntur effectus; nihil hæc cum voluntate nostra habebunt communia? Quis Occasionistarum est, qui sibi non tribuat, quod hæc aut alia aliquando voluerit, & voluntate posuerit? Illamet conscientia, quæ est in nobismetipsis, de qua hucusque tantopere disputavimus, eamdem plane evincit veritatem. Quidquid clarissime huic conscientiæ testimonio reluctere, illa semper urget, assensum a nolente extorquet.

647. *Tertio*. Cum a perfecta quiete ad motum pro lubitu nostro transimus, & reapse moveamur, aliqua sane est hujusce motus caussa physica. Hujusmodi caussam in Deum referre, eumque in proximam cujuscumque effectus productionem adducere; indignum id sane & philosophante homine, & rerum omnium conditore Deo existit; quasi scilicet omnipotens illud, & infinitæ scientiæ Numen eum rerum ordinem, atque universitatem condere non potuerit, aut ignoraverit, in qua mundanorum effectuum series suas haberent in creaturis ipsis caussas. Jam vero humanum

corpus antea quiescens sui motus prima caussa esse nequit: spiritus id muneris est.

648. 4°. Si idearum nostrarum comparationem sedulo expendamus; luce clarius apparet, animam nostram cogitantem, quamdiu saltem in corpore existit, non modo ab humano corpore, sed ab externis potissimum corporibus pendere, in animam nostram agere; quocumque modo idearum nostrarum comparatio explicetur. Ulterius ego obscurissimum hoc idearum argumentum modo non prosequar, prosecuturus statim. Id unum tamen plane constat, quamcumque opinionem circa idearum originem teneas, aliquam hac in re dependentiam intervenire.

649. Secunda propositionis pars probatione non indiget. Humani corporis mechanismum, compositionem, structuram, partes, quantum per humanam industriam licet, hodie agnoscimus: intimas tamen, & minutissimas fluidorum nostrorum partes animales, & vitales spiritus, aut quidquid eo nomine nuncupatur, minutiora etiam machinæ instrumenta, elateres, sinus, rotas, si ita loqui fas est, neque novimus, neque in præsenti vita spes ulla rem agnoscendi suppetit: a reconditiori autem hoc humanæ machinæ ingenio mutui commercii cognitio pendet. Communem hanc ignorantiam nostram fateri non pudeat, quamdiu ea partium subtilitas, atque intima essentiæ rerum cognitio præsentem nostrorum sensuum hebetudinem superet.

650. Male tamen quis in nos argumentaretur, si ex eo, quod rei modum ignoramus, rem etiam ipsam, seu rei existentiam a nobis probari non posse contenderet. Qui in hunc modum argumentaretur, aut se ipsum etiam præter infinita alia neget, aut argumentum nihili faciendum esse fateatur. Quanta enim vero, & qualia in mundo sunt indubia prorsus phænomena, corpora, effectus, quorum caussas, modum, naturam ignoramus? Tem etipsum etiam, corpus, animam tuam, & infinita, quæ in te ipso passim, & quotidie fiunt, eveniunt, animadvertuntur, nequaquam intelligis. Quid igitur? omniane huiusmodi negares? Datæ cuicumque rei, aut Phænomeni existentia, modus, caussa, natura, quæstiones sunt inter se plane diversæ: earum primam clarissime definias, quantumvis cætera omnia plane ignores.

651. Con-

651. Contra propositionem argumentatur *VVolfius*. Qui mutuum animæ, & corporis commercium statuunt, commercii tamen modum ignorare fatentur, nullum de hoc commercio systema habent. Resp. De philosophorum quorumcumque systemate parum solliciti libere semper philosophamur, & non nisi ea, quæ recte probari possunt, admittimus. Sed quoniam voce *systema* significat impræsentiarum *VVolfius*, non satis nos ejusmodi commercium statuere, aut probare, ejusque ideas confundere aut non satis distinguere; argumentum parum urbane propositum nego. At, inquit, ideam tantum ac conscientiam habemus coexistentiæ volitionum animæ, & motuum corporis: conscii scilicet sumus, quod volitionibus motuum motus ipsi, nolitionibus cessationes motuum respondeant, & vicissim: dum igitur dicimus, motus corporis, & animæ actus coexistere, quia in corpus agit anima, & vicissim; aliud sane non dicimus, quam mutationes in corpore, & anima coexistere, quia coexistunt (*). Respondeo. Hoc argumentum dignum sane non erat, quod in medium ab homine docto proponeretur; nisi cavillari ipse aliquando vellet; aut commiserationem a lectoribus elicere. Duo enim vero hæc distinguere novimus, *duo coexistere*, & *unum alterius esse caussam*: me & chartam, in qua scribo, simul existere, quin ullo hic caussæ aut effectus ratio interveniat, sensu & conscientia agnosco. Dum tamen animadverto me scribere, quia scribere volo; duo hæc, scriptionem & voluntatem non modo insimul

(*) Actiones corporis in animam non aliam habent notionem, quam, quæ coexistentiæ mutationum, in organo sensorio, & mente respondent: nec alia ipsis est actionis animæ in corpus notio, quam, quæ volitionum animæ & motuum in corpore, itemque nolitionis ac cessationis motus in eodem corpore coexistentiæ convenit... Affirmantes *igitur* mutationes in anima, & corpore coexistere, quia in animam corpus agit, & volitiones, atque nolitiones in anima, & motus, atque cessationes motuum coexistere, quia in corpus anima agit; nil quicquam aliud est dicere, quam mutationes in anima, & corpore coexistere in utroque casu, quia existunt. Psycol. §. 556.

mul exiſtere, ſed unum etiam ab altero eſſe, pari conſcientiæ teſtimonio, & claritate animadverto. Eſſe in voluntate volitionem motus, & inſimul in corpore motum, conſcientia habemus: unum vero alterius cauſſam exiſtere, nequaquam ab illa coexiſtentia probamus: neque etiam ſimul exiſtere interimus, quod alterum ab altero tamquam a cauſſa dependeat. Humanam voluntatem in corporis motum reapſe agere, non ex hujuſmodi motuum, & voluntatis actuum coexiſtentia, ſed ex demonſtrata alias animæ activitate, ex conſcientiæ noſtræ teſtimonio, ex corporis ad motum indifferentia, atque inertia, ex philoſophandi regula, qua effectum illi cauſſæ tribuere monemur, quæ & vera exiſtat, & ad effectum explicandum atque producendum ſufficiat, ex demonſtrata præſtabilitæ harmoniæ abſurditate, ex parum digna philoſophandi ratione, ad Deum ſcilicet, & precariam hypotheſim pro phænomenorum naturalium explicatione confugiendi, ex iis demum univerſis capitibus conficimus, ex quibus harmoniæ præſtabilitæ, atque occaſionalium cauſſarum falſitatem, & phyſici actionum commercii veritatem hucuſque probavimus.

652. Opponit item *Malebranche*: ſi mens atque voluntas humana *nihil extrinſecus producerent, merito dicere poſſemus illas nihil poſſe: jam autem conſtare mihi videtur, voluntatem ſpiritum vel minimum corpus movere non poſſe. Nam nullam eſſe connexionem neceſſariam inter voluntatem noſtram, exempli gratia, movendi brachium, & motum brachii, evidens eſt*. En argumentum ipſiuſmet auctoris verbis propoſitum. Reſp. Omnes hujus argumenti propoſitiones eſſe falſas: ſi humana voluntas inter nos ſuos actus reapſe elicit; quantumvis nihil ab illa in corpora quæcumque fieri poſſe parumper poneremus; aliquid proculdubio ipſa efficeret, & proprium phyſicæ cauſſæ munus ageret. Humanæ voluntatis amor, odium, & quamplurimi alii actus aliquid proculdubio ſunt ipſimet animæ intrinſecum, phyſicus veræ cauſſæ effectus, qui ſine cauſſa phyſice produci, & eſſe nunquam poſſunt. Amandi enim vero ſtatus, & nullum prorſus habere actum, duo ſunt voluntatis ſtatus inter ſe oppoſiti: a ſecundo ad primum tranſitus vera eſt phyſica mutatio, verus cauſſæ alicujus effectus: eam mutationem intimam, & verum effectum

effi-

efficiat voluntas, licet corpus movere non possit, nihil ne in hac hypothesi ab illa fieret? Jam vero ab humana voluntate, hoc est, ab spirituali substantia brachium, seu corpus moveri non posse, non modo non constat, neque a Malebranchio probari potest, sed constare potius oppositum, adducta hucusque argumenta evincunt. Sed hæc ulterius evolvamus; unde rem illam tibi constare affirmas? quia, inquis, inter voluntatem movendi, & motum nulla est connexio. Bene est, repono; rem affirmasti, affirmare non sufficiat; proba. Eam connexionem non video, neque animadverto, dices: verum quam latissime duo hæc inter se distent, *rem non animadverti*, *non intelligi*, *& rem non esse*, nullus ignorat. Mentes humanæ infinita ignorantes, & pauca tantummodo attingentes, ab illo argumento abstinere semper debent.

653. Quin imo philosophanti homini connexio illa inter voluntatem seu spiritum, & motum corporum facile apparet, & animadvertitur. Philosophando enim ita progredimur: si non esset spiritus, nullus etiam esset motus: quid enim corpora, nisi inertes, & impenetrabiles massæ? cum iis modo philosophis agimus, qui una nobiscum hanc tenent veritatem, Epicurismum, & Pantheismum evertunt. Corpora, & iners materia motum ex se se non habent: nullum corpus seipsum, ut alia corpora primo movet: motus omnium corporum orignem suam habet a caussa non corporea, a spiritu: si ergo in rebus est motus, est etiam spiritus; ex motu cujuscumque dati corporis spiritum potius aliquem, quam corpus aliud existere deducimus. Quin etenim aliquis existat spiritus, nullum esse, aut moveri potest corpus: contra vero nullum est corpus, cujus existentia ad alterius corporis existentiam, & motum sit prorsus necessaria: maior proinde est connexio inter corporis motum, & spiritum, quam inter duorum corporum existentias, aut motus. Philosopho igitur corporis motum perpendenti prius idea spiritus, quam idea alterius corporis obversari debet. Ita philosophando sequentia deducimus. 1. potest ergo spiritus movere corpus: 2. non est ergo contra notionem spiritus movere corpora, in illaque agere. 3. quoniam igitur anima humana est spiritus; dicere amplius non potest philosophus, nullam inter voluntatem movendi, & mo-

motum ipſum intercedere, aut apparere connexione. Primus ille ſpiritus, quocum omnis motus neceſſariam habet connexionem, præter infinita alia attributa ſummam habet omnipotentiam, cujus eſt ea omnia efficere, in quorum notionibus nulla eſt contradictio. Quandoquidem igitur ideæ ſpiritus non opponitur motum in corporibus efficere, quin imo pura id eſt ſpirituum conſequentia; a prima ad ultimam hujuſce ratiocinationis ideam manifeſta jam inter corporis motum, & ſpiritualem noſtræ voluntatis actionem apparet connexio.

PROPOSITIO XVI.

654. *Anima humana cogitans ita eſt in corpore, ut illi ſit unita, ejuſque ſit actio, eſt energia in ratione compoſiti viventis, ſentientis, atque cogitantis.*

Duo in propoſitione affirmo. 1. veram inter animam, & corpus unionem: 2. animam noſtram ſubſtantiam ſpiritualem cogitantem unicum eſſe principium, quo vivimus, ſentimus, cogitamus.

655. Ad primum probandum ſatis eſt communis omnium hominum ſenſus, experimenta, conſcientia. Intimus ſcilicet ille ſenſus, dolor, gaudium, & mille aliæ animi noſtri affectiones, quas in hoc rerum ſtatu anima noſtra experitur, cum aliquæ in corpore mutationes eveniunt, eo ſane modo cogitantem hominis partem afficiunt, qui puram externam aſſiſtentiam, directionem, & regimen infinito intervallo ſuperat. Acutiſſimum, quem aliquando ſentimus dolorem, vivaciſſimum etiam gaudium, quo fuimus aliquando perfuſi, in memoriam revocemus; ea dum ſentimus, aut poſtea vivaciſſime recordamur, cum illo diſplicentiæ, aut lætitiæ ſenſu, quem ex felici, aut infelici commiſſarum nobis rerum eventu experimur, ſedulo comparemus: ſi penitus utrumque inſpiciamus, fieri non poteſt (niſi quæ ego intra me ipſum ſentio, me vehementer illudant), quin acutiſſimos noſtros dolores puræ aſſiſtentiæ effectus eſſe non poſſe pronuntiemus.

656. Sed ut clariora hæc a metaphyſica idearum diſcuſſione evadant; aſſiſtentiæ, directionis, & unionis ideas diſcutiamus, eaſque cum ſenſuum indole, & cha-

charactere per otium conferamus. Nihil in pura assistentia, & directione occurrit, quod non sit plane extrinsecum: pura directio, regimen, & assistentia pura rei corticem tantum attingit. Physica unio intimam rei essentiam, & medullam afficit, unum ex diversis constituit extremis. Quod intrinseca unione meum est, me penitus tangit; quod meæ tantum directioni subest, exterius tantum me respicit: hisce rerum notionibus apprime consonat latissimum illud discrimen inter acutissimum dolorem, & sterilem illum lætitiæ sensum, quem ob servi alicuius felicitatem, aut ob aliena negotia consilio nostro bene parta vulgus hominum experitur.

657. 3. Si Anima nostra corpus tantummodo regeret, externus consultor assisteret, consiliarius dirigeret; nullus animæ sensus, dolor, gaudium cognitionem nostram de facta in corpore mutatione præcederet; nullum v. g. dolorem sentiremus, quin prius doloris caussa nobis innotesceret: omnes sensus a cognitione procederent, nullus illam excitaret. Ita rem fore non negabimus; si nostras iterum de regimine, atque assistentia rerum ideas enucleemus. Te ipsum rei cuicumque gerendæ, dirigendæ, aut aliquo modo patrandæ præfectum cogita; si quid huiusmodi aliquando peregisti, rem in memoriam revoca: tum solummodo dolorem ex male gestis rebus, ex infelici regimine, atque assistentia concipimus, cum ea nobis innotuerunt: alia ratio non est, neque via suppetit, qua ille in nobis generetur dolor præter cognitionem. In animam scilicet spiritualem materialia illa objecta non agunt secundum eam, quam tenes opinionem: nulla corpora in animam agunt, nulli præterea corpori unione aliqua devincitur spiritus. Meum tantummodo corpus consiliarius dirigo: quæ in illo quacumque ratione fiunt, sola cognitione mihi tandem innotescunt: hac una ratione directi operis infortunia purum consiliarium afficere possunt. Quocumque te vertas, si secundum præsentes, quas habemus, ideas philosophamur: prædicta omnia non inficiaberis. Dolores ex quibuscumque corporum nostrorum, hoc est, directarum a nobis machinarum casibus provenientes, aut ex prævidentia, aut ex conscientia, aut displicentia ortum ducerent, atque consequerentur. Atqui hujusmodi non sunt infiniti plane doloris sensus, qui-

bus

bus passim homines premimur: cognitionem frequentissime præcedunt, illam in nobis excitant. Quoties enim vero hominibus universis accidit, ex ignoto vulnere & mille aliis corporis casibus, qui nobis insciis in illo fiunt, dolere, ejusque tantummodo doloris beneficio in caussæ mali cognitionem devenire? Est ne vero doloris ille sensus ex cognitione, an potius præsentis mali cognitio ab incommodo doloris sensu provenit? Si quis hæc in dubium vocaret, illius ego conscientiam, mentem, & intimum animi sensum appello.

658. Secunda propositionis pars est, animam rationalem unicum illud esse principium, quo non solum cogitamus, sed & vivimus, & sentimus. Tria illa sunt humanæ speciei munera *vivere*, *sentire*, *cogitare*. Præter tria hæc est etiam in humano corpore, quemadmodum in cæteris animantibus, & vegetantibus, nutritio, de qua late in Physica Viventium disputavimus. Cogitanti Philosopho, & naturam hominis metaphysico more expendenti in præsentiarum quæritur, atque solvendum proponitur, unde tria illa humanæ speciei munera, & characteres proveniant; unde *vivimus*, *sentimus*, *cogitamus*? quodnam trium hujusmodi actionum principium atque caussa existit? Animam nostram rationalem principium illud esse, quo cogitamus, & cæteros omnes spirituales actus elicimus, in dubium a nemine vocari potest. Est tamen eademmet anima, quæ sentit? Quodnam præterea in hominibus est principium vitæ) Animales & vitales nostri corporis functiones, & motus, ipsamet humani corporis nutritio, atque vegetatio suntne etiam ab anima nostra spirituali, an potius præter cogitantem hanc substantiam aliæ in hominibus sunt animæ, quarum uni sensus, alteri autem omnia ad nutritionem, seu vegetationem spectantia tribuantur?

659. Habes paucis expositum præsentis controversiæ sensum. Quænam circa hujusmodi argumentum philosophorum opiniones existant, superius retulimus. In Physica Viventium plurima jam statuimus ad rem præsentem facientia, quæ hic summatim enumerare sufficiat: 1. *in plantis nullam esse animam a corpore plantarum organico & nutrientibus succis distinctam: omnemque plantarum nutritionem, & vegetationem puro partium mechanismo, & activitate peragi*. 2. *Nutri-*

tionem, seu vegetationem perinde in humano corpore, in animantibus cæteris, atque in plantis exerceri; nisi quod perfectiori longe modo in primis, quam in secundis peragatur. Nutritionem, seu vegetationem proprium rationalis animæ munus non esse, neque peculiarem ad id rei requiri animam citato in loco dicimus, & dictis modo insistimus. 3 *Quamplurimi humani corporis motus; qui vitales, & animales nuncupantur, ab voluntate nostra non pendent, sed secundum mechanici corporis ingenium necessario consequuntur*.

660. Ex his omnibus habemus, ex triplici illo humanæ speciei munere *vegetare*, *sentire*, *cogitare*, primum, sicut etiam quamplurimi nostri motus, solo mechanismo fieri: neque ad ejusmodi munus specialem opus esse animam a mente cogitante distinctam. Una tantum superest circa sensus difficultas Sunt ne etiam sensus, immo & voluntarii motus a rationali anima; an potius præter mentem cogitantem est etiam in hominibus tertia quædam substantia inter corpus, & spiritum media, *sensitiva anima* nuncupata, cui omnia sensuum mutare referatur? Hoc unum est, quod in hac propositione negamus. Ejusdem rationalis animæ munera sunt humanum *cogitare*, *velle*, *sentire*, & voluntarios corporis motus statuere.

661. Propositionem ita expositam plurima non leviter probant: 1. Anima illa vel esset materia, vel spiritus: substantiam mediam inter spiritum, & corpus adversarii philosophi communiter non admittunt. Primum est impossibile, nisi velis puram materiam sentire, dolere, gaudere, lætari, imaginari, & mille alia efficere, quæ & in superioribus, & potissimum in Physica Viventium falsa esse demonstravimus. Latissimam illam esse, atque rectam ad materialismum atque atheismum viam, citato loco exposui. Quod si secundum statueres; acta res esset: quandoquidem enim spiritualem animam sentientem admittis: quare spiritualem nostram animam cogitantem sentire non posse affirmes? Unum superest, ut sensitivam animam inter materiam, & spiritum mediam substantiam statuas. Hujusmodi ego substantias, & statuo possibiles, & existentes non nego: in casu tamen nostro iisdem te difficultatibus implicas, vel animæ mediæ, vel rationali spiritui sentiendi munus tribuas. Si substantiam simplicem non materialem, non cogitantem sentire posse con-

concedis; quare id de nobiliori alia ſubſtantia cogitante inficiabimur?

662. 2. Quamdiu per adverſarios non probetur aut aliqua ratione conſtet, noſtros ſenſus cogitantis animæ actus eſſe non poſſe, ſubſtantiamque ſpiritualem cogitantem illam non eſſe, quæ insimul ſentiat; philoſophico illo principio, *non ſunt multiplicanda entia abſque neceſſitate*, ſecundæ illius animæ exiſtentia tollitur. Si enim anima cogitans activam proculdubio habet vim percipiendi, cogitandi, volendi; ſi vis illa activa ſentiendi, & vis percipiendi magnam, & manifeſtam inter ſe habent affinitatem; ſi nullum efficax argumentum eſt, quo animæ cogitanti ſentiendi facultas denegetur; ſi hæc, inquam, omnia ita ſe habent; per allatum modo philoſophicum axioma ſenſitivam illam animam adſtruere non licet.

663. 3. Illamet anima, quæ in homine ſentit, ipſa etiam cogitat: quod ſi probavero, quandoquidem cogitare ſpiritualium ſubſtantiarum character exiſtit, nullum amplius dubium erit, rationali noſtræ animæ ſentiendi etiam facultatem convenire poſſe. Si aliqua in nobis eſt anima ſenſitiva, illius ſane erit tota ſenſuum provincia, illa proculdubio eſt, quæ dolet, gaudet, eſurit, ſitit, lætatur, dolorem percipit, recordatur, horret, illius memoriam, atque ideam ſervat, dolorum ideas ſecum confert: res autem percipere, illarum ideas elicere, ſervare, recordari, conferre, quid, quæſo, hæc omnia ſunt, niſi purum putum cogitare? objecta per eorum ideas percipere? Eſto, aliquod inter primum hunc, & alios cogitandi modos intercedat diſcrimen: de rebus ſpiritualibus cogitatio priorem illum cogitandi modum perfectione excedat: ejuſdem tamen generis duo illa ſunt, maxima inter utrumque eſt analogia: tritum autem illud eſt, & omnium philoſophorum conſenſu firmatum, *quod poteſt majus, poteſt etiam minus in eodem genere*. Cur igitur rationalis anima, quæ majus illud poteſt, non poterit etiam minus?

664. 4. Sentire, & cogitare prout in hominibus ſunt, duæ ſunt objecta percipiendi rationes, modo potius, objecto, organo, quam re, & notione differentes.

665. 5. Tandem ut alia plurima omittam, quænam ſane, & quam mirabilis inter ſenſus noſtros, inter di-

diversorum sensuum functiones intercedit diversitas! Confer parumper, amabo, visionis sensum cum dolore, sonos & harmoniam cum frigore, coloribus, dolore, saporem cum tristitia: hæc & infinita alia sensuum nostrorum munera & indolem penitus expende, secum mutuo confer: omniane hæc toto cælo inter se diversa ab una eademque sensitiva anima simplici percipiuntur? Ista omnia ejusdem animæ functiones habentur; quin ex tanta perceptionum diversitate animarum diversitas inferatur? Ad hæc omnia una sufficit anima? Ita rem esse non dubitas: quid ni igitur eadem spiritualis anima ad objecta & sentiendum, & percipiendum non sufficiet?

666. Hisce omnibus illud etiam accedit, quod spiritualem nostram animam scimus esse activam, percipiendi, & agendi vim habere, præsentem semper esse caussam, longe majora, perfectiorique modo percipere, quousque illius & spirituum quorumcumque activitas sese extendat, a nobis ignorari, eorum naturam atque vires definiri a nobis non posse: hæc, inquam, omnia satis iterum probare videntur, ad sensuum functiones exercendum immerito, & citra ullum fundamentum sensitivam illam statui animam ab humana rationali distinctam.

667. Opponi nihilominus in contrarium potest. Sentiendi facultas diuturno quidem tempore cogitandi facultatem in hominibus præcedit: integri a nativitate elabuntur anni, quibus pueri perfecte sentiunt, quin cogitare aliquid valeant, aut rationis usum, & lumen adipiscantur: sensitivam igitur, non rationalem per aliquod saltem tempus habent animam. Si utraque illa anima & cogitans, & sentiens per totum illud tempus intra pueri corpusculum esset; quare sentiendi tantummodo facultatem exerceret, nullum cogitationis vestigium ederet? Eadem jam tum in illo corpusculo sunt necessaria ad utrumque munus organa: iis organis per totam vitam sentiet, illa eadem sunt, quibus tantum instructum erit corpus, cum tandem successu temporis cogitabit: unica ergo sentiendi, non cogitandi caussa est, quod sensitivam, non rationalem animam corpusculum illud complectatur. Antequam argumento respondeam, unum animadverto, eam scilicet rationem ad tres in homine animas probandum adhiberi posse, fuisseque aliquos, qui eo argumento

ducti, vegetativam, sensitivam, & rationalem animam in humana specie statuerent inter se distinctas: illa tamen doctrina a quamplurimis eorum etiam philosophorum rejicitur, quibuscum modo agimus. R. igitur, si argumentum aliquid probaret, sequentia conficeret: 1. Animam humanam semper cogitare, semper velle, quamdiu in corpore existit: semel enim dato, posse animam rationalem in corpore esse, quin cogitet, velit, & alios hujusmodi actus eliciat; ab iisdem actibus per brevius, longiusve tempus feriari argumento amplius esse non potest, quod rationalis animæ absentiam probet. 2. esse reapse in homine triplicem animam modo relatam quarum primam a secunda distinctam, ne ipsi quidem adversarii admittere vellent. Enim vero per diuturnum tempus humani fœtus corpusculum nutritur, vegetat, augetur, quin aliquod sentiendi indicium præbeat: quin immo in plurimis hominibus morbo correptis membra sæpe sunt, quæ diuturno tempore nutriuntur, quin insimul sentiant.

668. 3. A caussa multiplices effectus inter se diversos edendi capaci unius quidem speciei phænomenon produci non posse, nisi alii insimul effectus, aliæque ejusdem caussæ virtutes exerantur. Satis hæc omnia argumenti falsitatem demonstrant. Ipsis etiam adversariis non inficiantibus, una eademque est anima, quæ in dato quocumque homine cogitat, ideas percipit, ratiocinatur: nihilominus homines videas ea insania hebetudine mentis imbecillitate laborantes, ut cogitent quidem, ideas, & singula objecta percipiant, toto tamen vitæ curriculo, aut per plures saltem annos ratiocinando impares omnino existant. Quid? Estne in hominibus duplex rationalis anima? Rei totius summa est: una eademque simplex substantia diversarum specierum actiones, atque munera edere potest, ad quæ diversæ etiam requirantur dispositiones, major organorum explicatio, & mille hujusmodi accidentia, a quibus naturalium caussarum actiones pendent: hic sane est rei nostræ casus, in quo ulterius explicando non immoror; ad ea quæ in Physica Viventium exposui, Lectorem remitto.

QUÆ-

QUÆSTIO INCIDENS.

669. Animam humanam spiritualem in corporis motus voluntarios agere diximus; illud ulterius quæritur solvendum, cujusmodi est animæ actio in corpus, physicane, an morale solum imperium? Humani corporis motus physica sunt phænomena; physicam proinde habent caussam: quænam hujusmodi caussa? Musculi, reponitur: bene quidem: sed cum musculi sint ipsi etiam corpora; non agunt, nisi prius etiam moveantur, & vires movendi accipiant: motus, & vires musculorum unde sunt? Res physica illi etiam existunt, quæ physicam caussam habeant oportet. A nervis quidem agi, tendi, moveri musculos; nervos etiam a spiritibus animalibus, aut eorum saltem ope intendi, agere, movere, vires musculis communicare novimus & fatemur: a corpore tamen in corpus gradatim conscendimus: nervi etiam, atque spiritus animales, quocumque sensu statuantur, sunt corpora, & materia iners: nisi prius excitentur, vires accipiant, moveantur, effectus illos & vires physicas communicare non possunt: hæc sane sunt notissimæ naturæ leges: eadem igitur redit semper quæstio. Quisnam spiritus animales, & nervos quiescentes, vires in se se non habentes, quamdiu quiescunt, ad motum statuit, viresque illis communicat? Quamdiu per corpora conscendimus & pro corporis motus caussa corpus aliud assignamus; quæstionem non solvimus. Totum humanum corpus antea quiescens pono: moveri incepit, cum nullum externum corpus in illud agebat, intimo veluti machinæ ingenio ad motum statuitur: ad radicem deveniamus; quisnam peculiaris ille est primus motor, a quo interiores machinæ partes, elateria, rotulæ ad motum excitantur? Illa vis, quæ in corpore existit, cum jam movetur, & in illo antea non erat, cum nondum movebatur, aut est de novo in naturam inducta, aut jam antea in natura existebat, solaque subjecti mutatione ab uno in aliud corpus transiit? Si primum; cum alia hujusmodi novarum virium physica esse non possit caussa, nisi anima nostra, quæstionem habemus solutam, in voluntarios motus physice agit anima.

670. Quod si statuatur secundum, easque vires in

natura jam antea existentes novum tantummodo subjectum acquirere contendas; ejusmodi vires in universali aliquo naturæ fundo, v. g. in materia subtili Cartesiana; in igne elementari ubique sparso, atque elastico existunt? Utcumque tamen statuantur, cum voluntatis nostræ nutu ab illo naturæ fundo ad humanæ machinæ partes physice transeant; in physicam tandem humanæ Animæ actionem devenimus. Uno verbo, sine physica aliqua actione nova in humano corpore antea quiescente motus incipere non potest. Anima actus quoscumque suos physice elicit, in actus quibus ad motum ponendum vel sistendum deliberat, physice agit. Si anima per hujusmodi volitiones activos illos spiritus, ignem elementarem, & elasticum in corpore humano diffusum, veram scilicet nostrorum motuum caussam physicam reapse excitat; aut ob legem commercii, illis actibus positis, primitivi elateres, elementarisque ignis excitantur: id ego non definio.

LECTIO III.

De prima Animæ rationalis facultate, virtute nimirum intelligendi, idearum origine, natura &c.

§. I.

Animæ actus ad intelligentiam spectantes enumerantur.

671. Hactenus animæ nostræ, potissimæ scilicet humanæ naturæ partis naturam, atque præsentem in corpore humano statum, vires, & commercium prosecuti sumus, quantum humanæ mentis tenuitas patitur. Ut clarius dictis jam rebus accedat lumen, nostræ hujusce cogitantis animæ proprietates aggrediamur: in præsenti etenim statu, quo maligna tantum luce rerum naturas spectamus, non melius earum essentias rimari possumus, quam si proprietates examinemus. Animæ humanæ facultates numerantur communiter *Memoria*, *Intellectus*, *Voluntas*. Primam, quæ ad intellectum aliquo modo spectat, & a voluntate non parum pendet, in Physica Viventium disseruimus, quantum argumenti obscuritas permittit: ubi quamplurima memoriæ phænomena explicavimus, & pro-

problemata solvimus. Duæ aliæ *intellectus*, atque *voluntas* in hac Metaphysicæ parte proprium sibi vindicant locum. Quantumvis tres Animæ potentias numeremus; non illas tamen, tamquam res inter se distinctas existimamus: eo sane modo anima cogitans non esset simplex substantia, sed ex pluribus constitueretur, quæ ejus simplicitatem tollerent. Relatæ idcirco animæ virtutes, & aliæ ejusdem proprietates una eademque animæ substantià existunt; quæ & intelligere, & velle, & recordari, & plura forsan alia agere potest, nobis ipsis in hoc rerum statu ignota. Quæ ad intellectum pertinent, prius expediamus; voluntatis notionem, indolem, proprietates, munera postea daturi.

672. *Intellectus* est illa animæ vis, atque activa facultas, qua objecta percipimus, cogitamus, sententiam ferimus, ratiocinamur, dubitamus, examinamus, aliaque ejusdem naturæ munera exercemus: mens etiam alio nomine nuncupatur. Duplex ab antiquis Peripateticis statuebatur intellectus, *agons* nimirum, & *patiens*. Quænam illi hisce nominibus significarent, quænam munera, & distinctionem utrique intellectui tribuerent, obscurissima sunt, ab ipsis etiam minime intelliguntur, inutilia plane existunt, & nullo innituntur fundamento. Iis prætermissis, mentis nostræ actus præcipui numeratur *ideæ* rerum, *judicia*, *seu mentis sententiæ*, *dubitationes*, *ratiocinatio*, *examen*, *idearum & cæterorum actuum dispositio*, seu *methodus*. Sensus, mentis etiam actus atque opus, vel ad idearum ordinem spectant, vel aliam actionum mentis classem constituunt, quam ideæ comitentur, & subsequantur. Horum omnium mentis actuum notiones, distinctionem, & ordinem in Logica dedimus; quam quidem rationalis philosophiæ partem Metaphysico Philosopho perspectam habere opus est: plurima inibi ad præsens argumentum facientia, & necessaria tradidimus, quæ ignorare, turpissimum literato cuicumque existimamus.

673. Inter relatos intellectus actus potissimum locum habet ratio, quæ prout in præsentiarum usurpatur, rationis etiam usus, aut rationis lumen dicitur. Tribus hisce nominibus diversas notiones, aut mentis functiones significamus. Hoc in loco, *Ratio est mentis discretio inter verum & falsum, inter bonum & malum:*

 lum:

lum: seu illa mentis perceptio, qua verum a falso, bonum a malo, distinguit: quo etiam sensu *rationis usus*, seu *ratio*, *rationis lumen* nuncupatur. Ratio secundum hanc notionem accepta purus est explicatæ iam, atque confirmatæ mentis actus, atque intellectio: eum vero rationis usum, lumen, aut rationem jam attigisse dicuntur, qui explicata jam mente bonum a malo, verum a falso percipiendo, aut ratiocinando distinguunt. Alio sensu *ratio*, & *lumen rationis* est clarum illud innatum mentale lumen, quo illuminamur, in verum rapimur, veritatem videmus, & videre adnitimur. Ratio priori modo usurpata potest esse pura idea clara, purum iudicium, & etiam ratiocinatio: omnibus hisce actibus potest mens humana inter bonum, & malum, inter verum, & falsum clarissime distinguere.

ADNOTATIO HISTORICA.

674. Cum obscurissimum modo agitemus argumentum, in quo facile est, quid rejicias, difficillimum vero, quid amplectaris, statuere, mirum non est, si in diversos adeo sensus philosophi abierint, nullusque hactenus fuerit, aut esse forsan possit, qui rem acu tangat, & implicatissimas hasce humanæ mentis tricas, & nodos explicet. Aleam & nos tentemus, ut & quid cæteri existiment philosophi, & quid etiam nos de nostræmet mentis actibus opinemur, Philosophico in opere non desideretur. Ut maiori tamen, qua fieri possit, claritate rem obscurissimam exponamus, quidnam illud sit, quod impræsentiarum a philosophis quæritur, in quænam præcipua capita totum argumentum dividant, & quidnam de singulis statuant, singilatim referamus. Cum plurima jam in Logica circa hoc ipsum argumentum retulerim, quæ eo in loco, & tractatu necessaria esse existimavi; ne iam dicta iterum repetam, ea tantummodo philosophicæ eruditionis caussa superaddam, quæ neque in Logica referri, neque in Metaphysica omitti debent.

675. Primo igitur quæritur, quid rei sunt mentis actus? Non jam idearum, neque cæterorum actuum nominales definitiones quærimus: quid nominis sint ideæ, citato in loco diximus: vera atque exacta idearum definitio, neque tentari neque dari a philosopho

po-

potest: ut enim est in definitionum regulis, notiones & res simplices definiri proprie non possunt. Cæteros vero mentis actus citato in loco definimus: iis igitur omnibus prætermissis, a Metaphysicis quæritur, suntne ideæ, cæterique actus aliquid a mente seu anima spirituali distinctum, an solius animæ cogitantis affectiones ab illa non quidem re, sed modo tantum diversæ? Primum satis est in scholis commune; secundum recentiores fere omnes tenent, qui Peripateticas qualitates non admittunt.

676. Secundo: De ideis speciatim quæritur, sint nec ne ab aliis animæ actibus a perceptionibus diversum; an potius ideæ rerum quas anima habet, sint ipsiusmet animæ perceptiones, quibus idearum objecta cognoscit, sibique ipsi repræsentat. Ideas ab Animæ perceptionibus esse distinctas, tenent bene multi: negant quamplurimi. Acerrime hac de re inter *Malebranche*, & *Arnauld*, cadente sæculo proxime elapso, disputatum est: priorem partem tenebat *Malebranche*, posteriorem *Arnauld*. Quid nos circa duplicem hanc quæstionem teneamus, in Logica indicavimus, luculentius statim exponemus.

677. Tertio, quotuplex est idearum genus, atque divisio? Notas idearum divisiones, & quænam præterea aliorum mentis actuum species existant, in Logica dedimus. Hæc tamen divisionis idearum quæstio ad celebrem illam de origine idearum obscurissimam quæstionem nos deducit. Si ideæ in innatas, adventitias, factitias dividuntur; sunt proculdubio ideæ innatæ, sensusque proinde commune haud sunt omnium idearum principium: si contra nullæ sunt ideæ innatæ; communis illarum fons, & principium haberi possunt, aut debent sensus. Sunt ne igitur ideæ innatæ, an potius omnes ideæ per sensus acquiruntur? Qualis est nostrarum idearum origo? Quæ circa idearum originem feruntur philosophorum sententiæ, ad sequentes reducuntur: prima omnes nostras ideas a sensibus derivat: ita ut actiones objectorum per sensus, seu per organa sensuum in animam universale omnium nostrarum idearum principium existant. Hanc tenuere sententiam omnes Peripatetici, Epicurei, Materialistæ, recentiores quamplurimi, post *Joannem Locke* egregium ejusdem opinionis illustratorem: si vera illa esset, homo sensibus carens nullam plane haberet

ullius rei ideam, nihil cogitaret, nihil perciperet, aut cognoſceret.

678. Secunda ſententia commune omnium idearum principium in ſenſibus non ſtatuit, ideas innatas adſtruit. Non unus eſt circa ideas innatas communis philoſophorum ſenſus. Antiqui Platonici nullas ideas eſſe a ſenſibus, ſed omnes eſſe innatas exiſtimarunt; quin immo, cum illas ſtatuerent æternas, omnes noſtras ideas puram eſſe reminiſcentiam, antiquarum ſcilicet idearum in memoriam revocationem adſtruebant. Alius longe eſt Carteſii ſenſus: nullas ille admittit ideas æternas, maximam earum partem a ſenſibus derivat; aliquas tamen, puta ideam Dei, Religionis, virtutum, & principiorum moralium, univerſalium axiomatum in mente humana innatas eſſe, a Deo impreſſas, nullaque prorſus ratione a ſenſibus, aut objectis ſenſibilibus derivatas affirmavit: in hoc igitur innatarum idearum aſſertores conveniunt, non omnes ideas a ſenſibus provenire, in quo & Peripateticis & recentioribus *Lockii* diſcipulis opponuntur; in reliquis omnibus magnopere inter ſe ſe diſſentiunt.

679. Tertia ſententia eſt ſingularis illa *Nicolai Malebranche*, animas humanas, mentes ſcilicet ſpirituales Deo, infinitæ perfectionis ſpiritui, eſſe unitas; cum ergo in Deo contineatur, immo ipſemet per ſuam naturam perfectiſſima omnium rerum idea exiſtat; humanæ mentes rerum ideas, ſeu objecta ipſa in Deo vident. Hanc præclari alias philoſophi opinionem, quæ poſt auctoris mortem nullos habuit patronos, ſeria diſcuſſione dignam non exiſtimo.

680. Quarto loco eſt cauſſarum occaſionalium ſyſtema: occaſione motuum, aut actionum, quibus objecta in humanum corpus agunt, reſpondentes ideæ in anima a Deo producuntur. Nihil eſt, quod ulterius in hoc ſyſtemate examinando, atque rejiciendo immoremur: ſatis in ſuperioribus id argumentum agitavimus.

681. Quinto Harmonia præſtabilita alius etiam modus eſt omnes humanæ mentis actus explicandi. Nulla ſane hypotheſis eſt, quæ magis a ſenſu removeatur: conſequens tamen inde non eſt, ideas innatas ab harmoniæ aſſertoribus teneri: omnes ideas, ſicut cæteros mentis actus, ab animæ ipſius fundo emanare, & effici, hujus ſententiæ conſectarium eſt. Quod harmoniam

niam præstabilitam attinet, mentem nostram jam exposuimus.

682. Antiquam etiam illam aliquorum Peripateticorum, & Atomistarum opinionem prætermittimus, qui a singulis objectis subtilissimas quasdam eorum imagines quaquaversus emanare, existimarunt, quæ per sensus ad cerebrum, & animam translatæ objectorum ideæ essent, quibus anima objecta externa perciperet. Tenues illæ, & evanidæ corporum species per aera, & media corpora impenetrabilia transvolantes quid sunt? Corpora ne? quomodo ergo materiam penetrant? Sed in rancidis hisce quisquiliis, & chymæris rejiciendis tempus non male collocemus: aliquid de iis in optica physica diximus.

683. Eorum, qui omnes ideas a sensibus derivant, vel aliquas tantum innatas esse autumant, hic fere sensus est: inter Animam, & corpus atque objecta externa verum intercedere physicum commercium, ejusque beneficio objecta per sensuum organa animam ad rerum ideas excitare. Ejus præterea indolis animam nostram esse autumant, ut ipsa quamprimum ab objectis excitetur, eorum ideas, atque alios mentis actus in se se genio suo producat.

684. Habes paucis expositum, & in summa capita redactum, quidquid hactenus circa obscurissimum argumentum homines cogitarunt. Idearum origo, & principium aut a corporibus per sensus agentibus, aut a Deo occasione corporum omnes ideas animæ imprimente, aut ab anima ipsa harmonice agente, vel per sensus excitata, vel tandem partim ab objectis seu sensibus, partim a Deo imprimente derivatur. Id ego ab omnibus diligenter animadverti velim, non eumdem esse innatarum idearum apud philosophos se usum, atque notionem. Aliud antiqui Platonici, aliud Cartesius, aliud etiam alii philosophi hoc nomine intelligunt. Circa relata omnia capita mentem meam sequentia aperient. Nihil immoror circa idearum, & reliquorum humanæ mentis actuum definitiones, vel nominis, vel rei illæ sint aut quærantur: quæ in Logica circa utrumque caput diximus, impræsentiarum confirmamus, & nihil modo suppetit, quod jam dictis superaddendum existimem.

PRO-

PROPOSITIO XVII.

685. *Ideæ rerum, & generatim omnes actus nostræ mentis sunt aliquid ab ipsa mente distinctum.*

Propositio de humana mente tantummodo intelligitur: de aliis creatorum spirituum ordinibus impræsentiarum non loquor: quantumvis eorum actus a spirituum ipsorum natura suo modo distingui existimem. In Deo infinitæ perfectionis, atque simplicitatis spiritu omnia unus idemque purissimus actus existunt.

686. Propositionem probant sequentia; si inter mentem, ejusque actus nulla esset distinctio: omnes actus animæ pura essent animæ natura, & essentia: & quod inde consequens est, ubicumque esset anima, vel in materno utero, in cunis, in somno essemus, omnes illic essent, perinde ac in vigilia, nostræ ideæ, & cæteri omnes mentis actus; quidquid enim anima est, quin ab illa distinguatur, ab illa numquam separatur. Nulla præterea esset novarum idearum comparatio; nullius rei ideam novam tempore, studio, mentis, aut sensuum usu anima nostra acquireret. Quid enim? Se ipsam ne anima acquirit? Magna sane est inter animam nostram ignorantem, & doctam, inter ejusdem animæ ignorantiam, & scientiam diversitas. Cum ab ignorantia mens nostra liberatur, & scientiam acquirit; aliquam sane perfectionem sibi comparat, in novum melioremque statum mutatur, quem antea non habebat: cum ergo novus ille status nihil aliud complectatur præter novas ideas, atque cognitiones, quibus antea mens destituebatur; hujusmodi ideæ, & cognitiones ignotarum antea rerum non sunt ipsamet anima. Uno verbo, inter animam cogitantem, & non cogitantem aliqua est diversitas, nulla ex adverso inter animam, & se ipsam distinctio intercedit. Rem per se manifestam longius prosequi superfluum esset.

687. Opponet hic Carthesianus aliquis: cogitatio est ad mentem, ut extensio ad corpus: nulla autem distinctio est inter extensionem & corpus: similiter igitur dicendum, cogitationem a mente nullo modo distingui. Respondeo: neque corpus est extensio, neque spiritus est cogitatio, neque una eademque est inter corpus & extensionem, inter spiritum & cogitationem re-

relatio. Nullum tamen est corpus, inquis, sine extensione: nullus proinde erit etiam spiritus sine cogitatione. Respondeo: Argumentum in id tantum collineat, ut mentem semper cogitantem probare videatur: sed ne id quidem evincit: etsi enim primum illud demus, quod a quamplurimis negatur; nil inde argumenti in rem nostram deduci potest. Probandum primo esset, camdem inter corpus & extensionem, inter spiritum & cogitationem esse relationem: quod cum demonstrari non possit, animi vero sine probatione non liceat, totum corruit argumentum. Spiritum esse rem cogitantem, facile demonstramus; semper cogitare, puram esse, atque perennem cogitationem nihil est, unde demonstretur.

688. Quænam tamen est ista actuum mentis ab anima distinctio? Sunt ne ideæ ab animæ substantia penitus distinctæ? Sunt ne substantia etiam ipsæ peripateticæ qualitates, an potius mentis ipsius modificationes? Si primum statuas; erunt quidem ideæ, omnesque alii animæ actus ab animæ substantia tamquam res una ab alia distinctæ, atque seperabiles. Si secundum admittamus, illam tantummodo ab anima distinctionem habebunt, quæ est modificationum propria. In re obscurissima difficile est, aliquid statuere, quod menti satisfaciat.

689. Dico igitur: *Ideæ, & generatim omnes actus nostræ mentis sunt puræ modificationes ipsius animæ cogitantis, & volentis.*

Ex una enim parte hujusmodi actus aliquam ab anima distinctionem habent, non sunt pura animæ substantia: aut igitur sunt res ab anima distinctæ, aut ipsius modificationes: nihil est medium: si ergo actus illos res aliquas absolutas non esse probavero, propositionem evincam. Ita vero res est: humanæ mentis actus res absolutæ esse nequeunt, quin & ipsæ sint creatæ: quidquid est verum ens reale, fuit e nihilo extractum, neque nisi per creationem potest produci. Eductiones in sensu Peripateticorum expositas veras esse creationes & extractiones ex nihilo, tantumque virtutis ad unam, quantum ad alteram actionum speciem requiri, in superioribus demonstravimus. Omnes igitur actus animæ essent creati, solius Dei opus existerent, cujus tantummodo esse potest creandi munus: actus igitur humani nostræ mentis, atque voluntatis

opus

opus nostræ animæ non essent, nihil in illos anima ageret, effectus nostræ voluntatis, mentisque nostræ non essent, nihil humana mens efficeret. Cum volumus, nolumus, amamus, odio habemus, cogitamus, ratiocinamur, similesque alias animæ operationes exercemus; omnia hæc a Deo tantummodo in anima fuissent: quod neque cum humana libertate, neque cum innata spiritus activitate stare potest. Argumenti summa est: mens nostra suos actus proculdubio producit: cum igitur quæcumque res physica ex nihilo exttacta nonnisi per creationem efficiatur, creandi vero virtutem neque anima, neque creatura alia, sed unus habeat Deus; aut nihil agit anima, aut illius actus res novæ non sunt: agit vero proculdubio anima; illius proinde actus ab animæ substantia non quidem re, sed mo o tantum distinguuntur. 2. Huiusmodi sane reculæ, quæ neque corpus, neque spiritus, neque media aliqua substantia inter spiritum & corpus existunt, a nemine iam peripateticis præjudiciis non imbuto tenentur: adeo scilicet humanæ rationi repugnat res admittere, quæ absolutum, & reale aliquid sint omnibus subjectis distinctum, quin tamen sint substantia, corpus, spiritus, aut media aliqua substantia, quin ex nihilo producantur, quin per veram creationem efficiantur.

690. 3. Nil magis tritum, atque vulgare in Peripateticorum scholis, quam eductionem, & creationem duas esse actionum species, quarum utraque res de novo producatur: minus tamen ad creationem requiri. Inde hoc in nos argumentum efformant. Animæ nostræ actus esse possunt ab anima penitus distincti, ab illaque produci, quin per creationem efficiantur: licet igitur anima, virtutem creandi non habeat; suos tamen actus a mente distinctos efficere potest; nihilque idcirco ex eo capite aut humana libertas, aut animæ activitas minuitur. Familiaris hic est in Peripateticis scholis ratiocinandi modus.

691. Respondeo: Si duo hæc conficiam 1. ad creationem, & ad peripateticam illam eductionem pari virtute opus esse: 2. quæcumque caussa non possit creare, non posse etiam veram aliquam rem novam producere; non modo argumentum diluam; sed eductionem veram esse creationem conficiam, & propositionem ulterius confirmabo. Primum: Substantia quæcumque existens

xiſtens ab omni alio diſtincta, quacumque tandem actione primum producatur, totum ſuum eſſe de novo accepit. Hujus ſubſtantiæ natura nuncupetur A, datus ſcilicet perfectionis valor: agitur de hac individua perfectione in integrum ex nihilo extrahenda, de illo valore dando: Quacumque autem actione id fiat, eſt ſemper idem valor: quacumque actione centum aureos dare velis, illos habere opus eſt. Illa perfectio A minus in cauſſa materiali, quam in cauſſa efficiente continetur; minus a prima, quam a ſecunda accipit; minus virium in paſſiva tantum cauſſà, quam in efficiente exiſtit. Hæc omnia Peripatetici ſtatuunt: jam vero duæ, aut quantuſcumque efficientium cauſſarum numerus centum illarum perfectionum valorem dare non poſſunt. Potiori igitur jure cauſſæ materialis, atque efficientis complexio valorem illum, ſeu perfectionem dare nequeunt. Secunda enim hæc complexio minus continet, minus dare poteſt, quam prima. Si quæ intelligimus, & clare percipimus, loqui velimus: eamdem ad creationem, atque productionem novæ ſubſtantiæ quocumque modo illa efficiatur, requiri omnino virtutem fatebimur. 2. Quæcumque ergo cauſſa non poſſit rem novam creare, illam etiam non poteſt ex ſubjecto aliquo producere, in quo antea non extiterit: illa igitur peripatetica eductio, eſt pura creatio: pares omnino ſunt: quæ cauſſa creare nequit, novam rem in naturam ex nihilo extrahere non poteſt.

692. Illud etiam accedit, quod in præſenti caſu mens ipſa & cauſſa efficiens ſuorum actuum, & ſubjectum præterea eſſe ponitur, quonam autem ex his duobus capitibus res illæ novæ ſuam exiſtentiam a mente accipiunt, ratione ſcilicet cauſſæ efficientis, an potius ex titulo cauſſæ materialis? Ex utroque, reponunt: bene eſt: mens igitur humana, utroque illo capite ſpectato, eſt ratio, ſeu cauſſa ſufficiens exiſtentiæ alicujus ſubſtantiæ datæ: ipſa per ſe, atque ex ſe novam ſubſtantiam in ſe antea non exiſtentem extrahit: quæ quidem omnia abſurditatem continent. Si nova eſt ſubſtantia de novo in rerum naturam producta; non extrahitur, neque educitur: extrahi, atque educi illa ſolum poſſunt, quæ antea jam ſecundum veram ſuam naturam exiſtebant.

693. Humanæ igitur mentis actus aliud eſſe non poſſunt,

sunt, quam quædam spiritualis ipsius substantiæ cogitantis, atque volentis modificationes, quæ nihil aliud in anima sint, quam diversi existendi modi, atque status animæ, quibus ipsa ad mentis aut voluntatis objecta refertur, illa respicit, aut ab iis avertitur. Has spirituum modificationes sensibus non percipimus, ratione tamen argumentamur, atque suademur: cujus unius est & spirituum existentiam, & omnia ad spiritus spectantia demonstrare. Modificationes substantiarum esse in natura, in iisque corporum qualitates, atque diversos status consistere, universa corporum exempla & tota demonstrat natura. Analogiæ argumento a corporeis ad spirituales substantias ducimur, & similia utrobique statuimus. Ex una enim parte spirituales nostræ animæ aliquid agunt; ex alia vero novas res efficere non possunt; propterea quod nulla creatura ratio sufficiens esse potest existentiæ, & essentiæ alicujus entis, neque rem aliquam potest creare. Omnia vero in nostra sententia sibi optime congruunt: agit scilicet Anima, suos actus reapse producit, nullam tamen rem physicam creat: modificando agit, percipit, cogitat, amat, odio habet. Eo pacto omnia substantiarum & caussarum materialium phænomena fiunt: universalis hic est agendi modus creaturis a Deo concessus, quo suam ipsæ virtutem explicant, atque exercent. Res novas agere, condere, creare, unius Dei est. Cur ab universali illa lege in toto materialium rerum systemate observata spiritus excipiemus? Ad excipiendum nullum suppetit argumentum: ne excipiamus, & analogia, & rerum exempla, & creaturarum conditio, & simplicitas naturæ, & alia hucusque exposita non leviter confirmant.

694. Opponi hic possunt sequentia. 1. Nullam spiritualis moficationis ideam habemus: rem adstruimus pene ignotam. 2. Simplex substantia, quales sunt humanæ mentes, possuntne modificari? modificatio est partium ordo, relatio, combinatio: ubi nullæ sunt partes, nihil hujusmodi locum habere potest. 3. In hac hypothesi anima esset, quæ ob activam vim suam se se modificaret, ex se se in se ageret: efficiens, & materialis suorum actuum caussa existeret; hæc vero diversa adeo munera in una eademque simplici substantia?

695. Respdondeo: Hæc quidem in speciem gravia, nul-

nullius reapse momenti sunt. Ad *primum* dico, spiritualium substantiarum modificationem nos quidem sensibili idea non concipere, sicut neque spirituum, immo neque ullius substantiæ ideam habemus: rem tamen ratione, sublimioribus ideis concipimus, ad eum pariter modum, quo insensibilia obiecta cognoscimus. Neque res spirituales, earumque modificationes dici possunt ignotæ; nisi eo nomine tantum intelligas, humanis sensibus illas non attingi: quod ultro fatemur, & nihil nobis negotii facessit. *Ad* 2. Secundum argumentum a sensibus totum desumitur, atque a figura corporum, quæ citra partium dispositionem esse aut concipi non potest. Plurimæ aliæ modificationes in re etiam materiali simplici facile concipiuntur, ut motus rectilineus, vertigo, quies, diversæ ad alia corpora relationes: si in re materiali ita se res habent; idem potiori jure de spiritualibus tenendum. Altioris ordinis hæc existunt: majori, pluribusque, & mirabilioribus modis agere possunt, quam materialibus rebus conveniat: possunt igitur spirituales substantiæ simplices sese pluribus modis agere, se se modo ad unum, modo ad aliud objectum convertere, aliosque in se se existendi, agendique modos, & status efficere, qui rerum spiritualium proprii existunt. Modos a modis distinguere oportet: alii quidem corporum, alii spirituum proprii: sunt & utrique substantiæ communes: neque materiales spiritibus, neque spirituum proprii corporibus convenire possunt, maleque ab unis ad alios argumentaremur.

696. Ad 3. Quod tertio loco opponitur libenter admittimus; quin absurditatis aliquid in eo deprehendamus. Proprium id est activarum caussarum & in aliis, & in sese etiam agere. Ab inerti materia ad agentes spiritus male in re nostra argumentum deduceremus; activum spiritum se modo in unum, modo in aliud objectum vi propria convertere, sine absurditate concipimus: hoc autem est, in se se & efficientis, & passivæ insimul caussæ munus agere.

697. Si licet materiali exemplo res spirituales illustrare, cum humanam animam cogitantem, volentem, infinitis fere modis se se agentem comtemplor; luminosa materia, vis, seu corpus in mentem semper obversatur: luminosa substantia, puta sol noster, aut corpus aliud ex se luminosum, vi activa se se diffunden-

dendi, seu in circumstantia, & remota etiam corpora agendi præditum, in illa agit, vi propria impellit, & impellitur, in corporibus reflectit, refringit, pluribus modis a vi illa interna modificatur, objecta illuminat, eorum imagines exhibet, repræsentat, in infinitos fere colores modificata transmutatur; atque si perceptionis capax existeret, circumstantia corpora illuminando perciperet. Has ego materiæ, seu vis luminosæ proprietates, & indolem cum animadverto, & per otium expendo; in cogitantis spiritus ideam facile conscendo. Longissime quidem inter se distant spiritus, & materia: unum tamen alterius imperfectissima velut umbra mihi statuitur. In luce agendi vim animadverto: in alia, & in se se etiam agit; intenditur, remittitur, reflectitur, refringitur, longe melius vicina, quam remota illuminat objecta, pro majori distantia sensim semper languescit, quoad amplius ab umbra, & tenebris non discernatur. Activa illa lucis virtus in anima longe perfectior, atque sublimior deprehenditur: activitate propria illuminare, in colores modificari, figuras corporum exhibere, quæ luminosæ materiæ munia sunt, illas mihi utcumque referunt sublimiores animæ functiones, quales sunt cognitio, ideæ rerum, & similia. Innatus in utraque est se se diffundendi, agendi, illuminandi, explicandi nisus: sua sunt hisce nisibus impedimenta, ut ardenti carboni circumpositi cineres: cineribus, impedimentis sublatis, vires iterum, nisusque agunt, se se in objecta diffundunt, illuminant, repræsentant. Activa luminis vis caussa illa est, quæ lucem ipsam infinita fere varietate modificat: obstacula & impedimenta caussa efficiens illarum modificationum non sunt, aliqua tamen ratione agunt. Longe perfectiori modo spiritualis animæ virtus omnia illa in se se peragit: modificationes in anima ab intima illius vi ex objectorum interpositione inductæ spirituale illud in anima sunt, quod materialibus luminis modificationibus, coloribus, picturis, objectorum repræsentationibus respondeat: ideæ nimirum, cæterique spirituales actus, quibus ipsa objecta repræsentat, amat, odio habet. Hæc quidem in natura materiali locum habent: si spiritualibus ad amussim non respondent; rebus tamen penitius, quantum hominibus licet, perspectis, nihil est, quod melius humani spiritus ideam adumbret:

eam-

eamque analogiam tot fundamentis innixam similiu probabimus, atque tenebimus, quamdiu melior alia non producatur.

698. Neque objiciat mihi aliquis latissimum illud, quod inter materiales, & spirituales naturas intercedit discrimen. Scio: absit, ut hoc ego exemplo mentis cogitantis, substantiæ spiritualis naturam attingere, aut notionem exponere præsumam: rei illustrandæ exemplum quæro, distantiæ non ignarus rem ipsam a longe, & malignam per lucem demonstro.

PROPOSITIO XVIII.

699. *Omnes ideæ rerum sunt veræ perceptiones, seu actus animæ existunt, quibus mens objecta cognoscit: suntque proinde ideæ veri actus animæ, atque ab illius perceptionibus, seu cognitionibus non distinguantur.*

Illud ego in propositione pono, omnem ideam (non innatam) esse actum animæ, & propriam objecti perceptionem ab anima elicitam. Utrum vero omnes animæ actus circa ideas versantes sint idea etiam ipsi nova, aut antiqua, an potius anima ideas versando plurimos eliciat actus ab omni idea distinctos, ego non statuo. Propositionem sequentia mihi conficiunt: ideæ nomine, atque notione intelligo repræsentationem objecti, seu illud, quod animæ objectum repræsentat: objectum sibi mente repræsentare, idem plane est, atque objectum mente percipere: ideæ igitur rerum sunt etiam ipsarum rerum perceptiones. 2. Id sane nullus negaverit, duo hæc munera (si duo reapse esse velis) objectum repræsentare, objectum percipere, seu esse objecti repræsentationem, & perceptionem, in una eademque re simul conjungi: quæ enim notionum oppositio inter hæc munera inveniatur, plane non video. Eo vero semel dato, nullum amplius argumentum est, ut ideas a perceptionibus distinguamus. Unus idemque actus & repræsentatio seu idea, & perceptio seu cognitio, propriusque animæ actus esse poterit; repræsentatio quidem relatu ad objectum, perceptio vero relatu ad animam: quod quidem luculentius constabit, cum opposita nobis argumenta proponemus. 3. Si rerum ideæ, atque perceptiones duo rerum genera in anima ponuntur, quorum munera uni

eademque re explicari, atque peragi possint; duo illa rerum genera statuendo, longius a simplicitate recedimus, quam si in unum conflentur. Propositionem per se evidentem non negabis: posse vero duo illa munera in unum conflari, Deus ipse demonstrat, qui & idea & perceptio rerum omnium citra ullam omnino actuum distinctionem existit: est scilicet Deus omnium rerum idea, omnium rerum peceptio: idea in Deo est ipsamet repræsentatio. Quod si hisce addas, a natura simplicitatem semper affectari; non leve hoc confecisti argumentum: Illa semper ratione agitur in natura, quæ & simplicior est, & reapse existit in natura: simplicior sane res est, si ideas, atque perceptiones idem esse statuantur, idque præterea locum habet in natura: secundum igitur communes naturæ leges, ideas a mentis peceptione distinguere non possumus.

700. 4. Sed ut majori adhuc luce rem ipsam statuamus, hypotesim ponamus, quod in hominis alicujus mente citra quamcumque aliam distinctam rem, aut modum objecti alicujus perceptionem imprimeret Deus, seu in hominis mente puram objecti perceptionem consideremus. In illius hominis mente percepti objecti ideam non haberi, ne ipse quidem *Melabranche*, aut quicumque alius oppositæ sententiæ fautor audebit asserere: Quid enim? Objectum percipit, sibi repræsentat & præsens in mente habet. Ista ne vero, quin ejusdem objecti ideam habeat? Quid aliud est, aut aliud in mente præstat rei idea? Si actum mens tua elicit, quo sibi objectum clare repræsentat; dicet ne aliquis te adhuc objecti ipsius ideam non habere? Perceptio igitur objecti cujuscumque dati est insimul ejusdem objecti idea: neque possibile est rei perceptionem concipere, quin ejusdem rei ideam pariter concipias. A falsa atque impossibili argumentamur hypothesi, repones: elici non potest perceptio, quin ejusmodi actum præcedat aut comitetur idea: nihil idcirco ab impossibili hypothesi concludere possumus.

701. At respondeo, nihil ejusmodi effugio propositum argumentum enervatur: primo enim, ideam, atque perceptionem esse penitus inter se diversas statuis: quidni igitur unam sine altera existere non posse dicemus? non existat tamen sine idea perc ptio: cum tamen sint duo distincta, posset unum ab alio seorsim intel-

intelligi: id tamen est falsum: rem cognoscere, est rei habere ideam. 2. Perfectissima sane divinæ mentis perceptio per se ipsam est perfectissima etiam rerum idea. 3. Etsi in tua etiam hypothesi parumper darem, ad rei cujuscumque perceptionem præcedere semper in mente ideam, neque fieri aliquando posse, ut objectum mens percipiat, quin perceptionem idea præcedat, aut comitetur; etsi, inquam, hæc liberaliter darem; cum tamen inter ideam, & perceptionem per te intercedat distinctio; duas habent naturas, essentias; notiones physicas. Atqui velis nolis id est falsissimum. Perceptionis notionem concipere non possumus, quin in ea pariter notione appareat idea. Non ego jam ab hypothesi existentiæ argumentor: ideæ, & perceptionis existentias, atque connexiones ut pro libito componas permitto: a notionibus argumentum deduco: objectum sibi mente repræsentare, mente percipere, est illius ideam in mente habere præsentem. Si alio modo loquaris, a nullo mortalium, neque a te ipso intelligeris.

702. 4. Quid per te sunt, amabo, rerum ideæ, si rerum perceptiones esse inficieris? Ad quamnam rerum classem, ad materiam ne an potius ad spiritum, aut ad mediam aliquam substantiarum classem pertinent? Hæ quidem quæstiones in ea, quam impugnamus, hypothesi nullo modo solvi a mente humana possunt.

703. Opponitur primo. Propositionem nostram a quæstionibus in opposita hypothesi obscuris, atque solutu difficillimis probamus: hoc tamen modo par etiam argumentum in nos conficimus: quid enim sunt ideæ rerum in nostra etiam hypothesi? Sunt ne materia, an spiritus, aut medium aliquod inter spiritum & materiam? Respondeo: Ideæ rerum, de quibus modo agimus, sunt repræsentationes, seu perceptiones, quibus anima objectum sibi mente repræsentat: hæc autem sunt spirituales animæ cogitantis affectiones, & modi ab animæ ipsius fundo effluentes, atque producti: non ad substantiæ, sed ad modorum ordinem spectant: vel, si mavis, sunt ipsæmet spirituales substantiæ hoc vel illo modo affectæ. Omnia hæc & ex superius dictis, & ex modo etiam dicendis luculenter confirmantur.

704. Opponitur 2. Si rerum ideæ, & perceptiones mentis una eademque res esse statuantur; unum e duo-

bus admittere oportet, aut anima est mere passivum suarum cogitationum subiectum, aut ideas omnes, etiam simplices mens ipsa sibi creat. Utrumque autem est falsum: primum quidem, quia si anima caussa non esset suarum perceptionum; idem pari jure de voluntatis actibus esset tenendum: quo sane humana libertas tolleretur, ut in sequentibus demonstrabitur. Vix etiam vivens amplius dici posset anima: vivere est agere: qui nihil agit, sed tantummodo patitur, a viventis ratione videtur exclusum. Secundum similiter fallit; ideas enim rerum simplices ab anima creari non posse, sed ab earum objectis dependere, omnium sensuum experimento constat: quid caussæ esset, quod hominis cæci mens luminis, & colorum ideas sibi numquam creasset? Rem in Logica late versamus.

705. Respondeo: Argumentum est purum sophisma contra dilemmatum leges propositum: quare nego dilemma, seu primam argumenti propositionem: neutra e duobus illis dilemmatis partibus ex nostra sententia consequitur: neque illæ sibi opponuntur, ut dilemmatis leges requirerent. Etsi anima neque sit subjectum mere passivum suarum cogitationum, neque illas ex suo fundo citra ullam ab objectis dependentiam creet; eas tamen propriæ indolis viribus, atque externorum objectorum excitatione præcedente, elicere potest. Id vero est, quod jam superius stabilivimus, & ulterius adhuc confirmabimus. Ideæ rerum sunt cogitantis animæ modificationes, seu actus: aliquam procul dubio habent caussam, a qua efficiantur; sicut aliquod subjectum esse oportet, cujus ipsæ sint modificationes: utrumque & caussa & subjectum est anima: illi omnes actus ab anima in anima ipsa efficiuntur. Hæc diximus, & probavimus: modo ulterius addimus: anima ejusmodi actus producendo, nihil creat; si creationis vocabulum rigoroso sensu methaphysico accipiatur. Efficit tantummodo: eaque ratio est, qua anima humana suos etiam voluntatis actus elicit; amorem, desiderium, aversionem, odium concipit, modo se ad objectum convertit, modo avertit, alio & alio modo pro objectorum varietate, & animæ ipsius indole objecta respicit. Verus, & proprius hic est agendi modus humanæ voluntatis; si humanam libertatem salvam esse velimus. Quidni, amabo, idem prorsus de humano intellectu affirmabimus? Utrumque

hoc principium eadem est simplex anima. Si proprios voluntatis actus citra ullam creationem producit; suas etiam ideas, seu quoscumque intellectus actus eliciet, quin aliquid proprie creet. Falsum igitur est adductum illud dilemma, si ideæ a perceptionibus non distinguuntur, aut anima est subjectum mere passivum suarum perceptionum, aut si non est mere passivum, perceptiones, hoc est ideas, creat. Neque enim est purum subjectum, neque ideas creat: hæc altera dilemmati adhibenda esset pars: quod scilicet anima ideas etiam simplices, aliqua ab objectis actione præcedente, activa virtute eliciat: quod unum est verum, & exemplo voluntatis, & ex posita humanæ mentis indole profluit.

706. Bene est, inquis: humanæ animæ activam virtutem simplices ideas efficiendi conceditis? Ita quidem, respondeo, dummodo tamen simplicium idearum objecta in mentem aliquo modo agant, aut cogitandi impedimentum tollant. Sicut etiam humana voluntas dati cujuscumque boni amorem elicit; dummodo ad eliciendum aliqua præcedat ejusdem boni amandi in voluntatem excitatio: quocumque modo in voluntatem actio objecti perveniat. Unde tamen est, subjungis, quod neque cæcus de luce, aut coloribus, neque surdus de sono, aut musica, neque ullus nostrum simplicem objecti sub sensus non cadentis ideam elicimus, si mens humana cudendi ideas virtutem habet? Quia, respondeo, activa hæc animæ virtus ab objectis semper dependet. Quare per adversarios etiam, qui Occasionalistis non favent, humana voluntas si suos amoris actus producit, datum quodcumque objectum numquam amat, nisi idem bonum in voluntatem prius agat? Eadem utrobique est ratio: materiale lumen in colores, atque objectorum repræsentationes non modificatur, nisi objecta ipsa præcedant, suoque modo in activam lucis activitatem agant. Quod in materiali luce fit, perfectiori longe ratione in spirituali mentis lumine peragitur. Nostra igitur idearum explicatio, inquis, veram objectorum in animam actionem ponit: quid tamen obscurius? Respondeo: Quid de mutuæ actionis physicæ inter animam, & corpus obscuritate, & insimul veritate, seu existentia tenendum sit, fuse jam exposuimus. Quæcumque obscuritas producatur, nihil illa contra rei veritatem facit.

707. Opponitur 3. Ideæ sunt formæ suorum obje-ctorum existentium, aut possibilium; ergo continent *realitatem* illarum rerum, quarum sunt repræsentationes. Si igitur ideæ a mente creari possunt, opus est, ut ante omnes ideas mens ipsa realitatem omnium illarum rerum contineat, quarum sibi ideas simplices producit: ne scilicet effectus sine ratione sufficiente statuantur: at realitates rerum sunt ipsarum rerum exemplaria, hoc est, ideæ: anima igitur ad ideas rerum producendum, easdem iam ideas in se se habere prius deberet; hoc est, habere ideas ante ideas, quod est absurdum. Sunt ex adversariis, qui hoc in nos argumentum præposito *demonstrationis* nomine producant: eoque insimul demonstrare contendunt, humanam mentem ideas producendi virtute præditam non esse, ideasque proinde a mentis perceptionibus esse distinctas.

708. Respondeo: Nulla in obscurissimo hoc argumento propositio existit vera: singulas seorsim examinemus. Ideæ non sunt formæ, sed sunt repræsentationes vivæ, & extrinsecæ suorum objectorum: formæ in subjectis ipsis existunt, inhærent, aut intrinsece constituunt, ut videre est in forma hominis, auri, solis, cæterarum rerum: neutiquam illa munera ideis conveniunt, quæ non in objectis, sed in mente existunt. At quid sunt ideæ, reponis, nisi intellectuales objectorum picturæ? Quid autem picturæ, nisi suorum objectorum formæ? Respondeo: intellectuales quidem sunt picturæ, & imagines suorum objectorum: sed omisso etiam latissimo illo, quod intercedit inter picturas, & picturas, discrimine, ne materiales quidem picturæ sunt objectorum formæ, sed objectorum formas repræsentant: quæ duo sunt longe inter se diversa: falsum igitur primum. Objectorum perfectiones in eorum ideis contineri, quod erat secundo loco ex falso principio deductum, ab omni verosimilitudine est alienum. Idea Dei, quæ est in humana mente, continet ne perfectionem Dei? Dici ne potest, in ornatissimi palatii pictura totam eiusdem perfectionem contineri? Ideæ, & materiales etiam imagines objecta repræsentant, non continent: qui diversissima hæc esse non animadvertit, metaphysicam ille, & cæteras abstractas scientias aliis colendas omittat.

709. Reliquæ argumenti propositiones a duabus primis deductæ, & sunt per se absurdæ, & ruinosis fun-

da-

damentis innixæ facile collabuntur. Mens igitur, tertio loco in argumento deducitur, ad ideas producendum, & antequam illas producat, omnium rerum perfectionem debet continere. Hujus propositionis absurditatem duo hæc ad evidentiam demonstrat: lux vim in se habet materialia quæcumque objecta repræsentandi; quin eorumdem perfectiones contineat: in mente humana est proculdubio idea Dei; Continet vero illam Numinis perfectionem? Ideæ sunt puræ repræsentationes, non vero perfectiones objectorum; hujusmodi repræsentationes eliciendi virtutem habet anima: ne quis effectus sine ratione sufficienti existat. Nihil aliud est, quod statuere adversarius possit, aut ex argumento deducere. In iis examinandis amplius immorari, operæ pretium non est: quam falsa sint, quæ in argumentum fuerunt adducta, satis luculenter hucusque dicta demonstrant.

710. Opponuntur 4. sequentia. Si ideæ essent perceptiones animæ ab ipsa anima productæ; quoniam anima infinitarum rerum ideas habere potest, vim sane, atque perfectionem haberet infinitam, quod finitæ rei convenire non potest. 2. Si vim habet anima rerum ideas efficiendi; quare rerum quarumcumque ideas in se se pro libito non producit? 3. Si mens rerum ideas producit, ideæ autem objecta repræsentant, quin eorum perfectionem complectantur; nihil sane est, cur mens possibilia omnia cognoscere, Deumque ipsum comprehendere nequeat: quod quidem dicere, absurdissimum esset. Respondeo *ad primum*: posse ab anima finitæ perfectionis objectorum perceptiones, & voluntatis actus in infinitum produci, nullus philosophus, ne ipsi etiam adversarii in dubium vertunt: quin tamen ex hac actuum infinitate perfectionis infinitudo deducatur. Neque ideæ, neque actus objectorum perfectiones continent; una tantum eademque sunt anima diverso modo in diversa objecta respiciens: infinitæ igitur ideæ, hoc est, infinitæ modificationes, non infinita, sed una tantum perfectio sunt: quod idem corpus infinitas possit habere figuras, argumento ne erit, ut infinitam corpori perfectionem tribuamus?

711. *Ad secundum*: ut anima rerum ideas producat, rerum ipsarum actione opus habet: nisi igitur objectorum actio præcedat, eorum ideas pro lubitu

ſuo numquam eliciet. Unde eſt, amabo, quod lux, quæ omnium corporum figuras, & colores poteſt in candida charta exhibere, eas tamen pro lubitu noſtro non exhibet! Eadem eſt caſus utriuſque ratio; neque lux materialis, neque lumen intellectuale objectorum picturæ evadere poſſunt, quin illorum actio aliqua præcedat. *Tertium* ex modo dictis luculentiſſime ſolvitur: humana mens non modo finitæ, ſed tenuiſſimæ perfectionis ſpiritus, objecta non cognoſcit, eorumque ideas efformat, in hoc ſaltem rerum ſtatu, niſi ab objectis aliquo modo ad ejuſmodi ideas eliciendum excitetur: quod neque a rebus poſſibilibus, neque etiam ab innumeris fere rebus exiſtentibus peragi poteſt. Manifeſtum habes ejuſdem rei exemplum in humana voluntate, in lumine materiali, & rebus aliis quamplurimis. Quod de infiniti Numinis comprehenſione additur, ad rem noſtram non facit: nulla eſt inter humanam mentem, & Dei infinitatem, inter finitum ſcilicet & infinitum proportio.

712. Opponitur 5. Pictor ignotæ rei imaginem depingere neque novit, neque poteſt: atqui pictoris ſane munus agit anima, imaginis vero idea: qui ergo fieri poterit, ut mens objecti ſibi antea prorſus ignoti ideam efficiat, ſeu depingat? Reſpondeo: Hoc argumento utitur *Malebranche* ad Occaſionaliſtarum hypotheſim adſtruendum, & cauſſas omnes creatas e medio tollendum. Qui aliquas in rebus creatis veras agnoſcunt cauſſas, eo tamen utuntur argumento, in ſe ipſos agunt: libere v. g. humana voluntas actus ſuos producit: agere tamen non poſſe, pari ratione argumentum illud conficit. Quid enim rei ſint humani actus, quomodo a voluntate creentur, ſeu efficiantur, ipſa proculdubio ignorat: ſi igitur nulla cauſſa effectum agere poſſet, cujus naturam, & modum non cognoſceret; nihil eſt, quod ab humana mente, aut a creata alia cauſſa peragi poſſet. Quid argumento reſpondendum ſit, ſuperius in re ſimili expoſuimus. Ut lux dati cujuſcumque corporis figuram, & colores repræſentet, & objecti repræſentationem exhibeat, opus ſane non eſt, objecti ejuſdem repræſentationem jam antea in luce præceſſiſſe: ſatis eſt, activam luminis indolem ad objecta repræſentandum aptam, ab objectis ipſis affici. Pictoris opus exemplaris cauſſæ effectus exiſtit, cujus muneris, aut conditionis eſt ſine

agen-

agendarum rerum cognitione non agere. Quare argumenti consequentiam hac sensuum distinctione solves: mens objecti sibi antea ignoti ideam non efficeret, si ad exemplar ageret; ita quidem: si propria tantum naturali indole operetur, qui unus humanæ animæ in hoc rerum statu operandi modus est, deductam consequentiam negamus. Ratio discriminis ex diversa caussarum indole pendet. Pictoris exemplum a re nostra est longissime dispar. Mens non depingit, sed potius activum spirituale lumen irradiat, & se se explicat; explicando, & irradiando cognoscit.

713. Opponitur 6. Si mens ignotarum rerum ideas efficere in se se potest; externarum rerum existentia semper esset incerta: quod iterum pictoris exemplo evincitur. Pictor si res sibi ignotas depingat; neutiquam ex pictura ipsa res existere asseret: ignota depinxit; existant, an pure sint possibilia, ignotum est: pari igitur ratione mens nostra ideis existentiam rerum perperam dignosceret. Ejusmodi ideas mens nostra creavit; licet objecta non existant: rem ita statuendo, omnem rerum certitudinem, atque scientiam tollimus: de rerum existentia judicare amplius non possumus. Respondeo: Si hucusque dicta mente habes, ulteriori responsione opus non est. Mens nostra simplices rerum ideas se sola numquam efficit, aut efficere potest, perinde ut lux citra corporum objectum eorum figuras repræsentat. Utraque lux, cum spiritualis tum materialis, ut in picturas sui generis conformentur, ab objectorum actione pendet. Sicut igitur lumen nullas corporum figuras seu repræsentationem exhibet, nisi corpora existant; potiori sane jure simplices rerum repræsentationes in mente indubium existunt objectorum existentiæ argumentum. Eadem ratione simplices objectorum ideæ in nostra, atque in adversariorum sententia, in rerum ipsarum cognitionem, certitudinem, scientiam nos deducunt.

714. Opponitur 7. Mens humana objecta in se ipsis non percipit, sed in aliquo a rebus ipsis, & mente distincto, quod sit earumdem rerum exemplar, hoc est, idea: hoc igitur exemplar, hæc idea, hoc aliquid ab objectis diversum, est idea a mente etiam distincta. Respondetur: Hoc argumentum purus est verborum lusus. Quid sit objectum cognoscere *in se ipso*, *in alio*, *ex alio*, *per aliud*, jam exposuimus: ex data illa expo-

expositione constat, quod humana mens objecta omnibus illis modis percipiat. Actus ille, seu idea, qua anima objectum quodcumque cognoscit, in ipsamet anima existit; immo potius est ipsum animæ lumen peculiari modo affectum. Hoc sensu anima, objectum quodcumque cognoscat, illud in se ipsa cognoscit; potius tamen dici debet, quod mens objectum se ipsa cognoscat: duo scilicet hæc, se ipsa cognoscere, in se ipsa cognoscere, magnam inter se habent diversitatem.

COROLLARIUM.

715. Anima est suarum idearum caussa efficiens, non tamen creans; si creationis nomen in rigoroso sensu usurpamus. Alius est philosophicus, & rigorosius, alius rhetoricus hujus vocabuli sensus. *Creare* apud Philosophos, est substantiam e nihilo extrahere: quo quidem sensu neque anima, neque creatura aliqua habet vim creandi. *Creare* apud Rhetoricos, Poetas, & artifices, est, novam aliquam, atque elegantem idearum compositionem, & ordinem invenire, combinationem novam ex ideis non novis componere, atque compingere. Homines, quorum mentes ea sunt componendi virture præditæ, *creatrices* mentes habere dicuntur, atque ad Rhetoricam, Poesim, aut artium cæterarum aliquam colendam apti habentur. Atque hoc quidem sensu nostræ hominum mentes idearum suarum *creatrices* existunt: ad rem tamen præsentem sensus iste non pertinet: est enim habitas jam ideas combinandi, atque ordinandi virtus, non vero penitus novas ex nihilo extrahendi facultas.

PROPOSITIO XIX.

716. *Anima humana objecta in Deo non videt falsumque existimamus expositum superius Malebranchii Systema.*

Qui rei sit *Malebranchii*, sententia, quam in hac propositione rejicimus, habes in Historica adnotatione expositum. Animus mihi erat, auctoris sensum historice relatum, ne lectorem philosophum pars hæc eruditionis lateret, peculiari examine non attingere. Argumenta sunt, quæ cum retuleris, satis confutasti: id gene-

generis esse singulare hoc *Malebranchii* opinamentum, & ipsa per se se res loquitur, & vix non omnes conveniunt.

717. Ipsa systematis expositio primum mihi est falsitatis ejusdem argumentum. Eum sane esse communem cæterorum philosophorum sensum systematis fortuna evincit. Enim vero in lucem edita Malebranchii sententia in ortu suo jacuit: neque dicere audeam, aliquis ne fuerit post auctoris mortem relatæ opinionis fautor. 2. Rem affirmas non modo novam, sed communi philosophantium, omniumque hominum existimatione absurdam: proba. Sæpe dixi, efficacissima hæc est hujusmodi sententiarum, & opinandi licentiæ rejectio, atque contra earum rerum assertores argumentum. De re gravissima, & explicatu difficillima agitur: problematis solutionem aut gravibus argumentis probabilem demonstra, aut ne imprudens pseudoenthusiasta audias, rem modeste propositam in medio relinque: interimque aliis committe de argumentorum probabilitate judicandi provinciam. Hæc scilicet omnia prudentes Criticæ leges decernunt: in quas si peccemus, male nos nomini nostro, & assertis etiam opinionibus consulimus. Quibus vero argumentis innitatur *Malebranche*, statim responsurus exponam.

718. 3. Intimæ etiam hominum conscientiæ illud argumentum opponitur: dum enim vero nihil de Deo cogitamus, rerum quarumcumque ideas mente concipimus, volvimus, tractamus, humanas scientias universas ediscimus, promovemus, examinamus. Cum harum omnium rerum ideæ secundum singulare hoc opinamentum sint ipse Deus, cum hæc omnia in Deo videamus, ipsimet Divinitati intime semper uniti; qui tandem fieri poterit, ut humanas omnes ideas, cognitiones, scientiam comparemus, meditemur, doceamus, quin vel minimum de Deo cogitemus? Quin immo qui de Deo numquam cogitarunt, qui illum etiam præfracte, atque impie negant, in ipso tamen Deo omnia vident; Deus ipse tota eorum scientia existit; Deus ipse est eorum ideæ; Deum semper vident, illi semper uniti? Ista vero cum crassissima hominum de Divinitate ignorantia, atque atheistica impietate?

719. 4. Stare ne etiam possunt, atque amice componi cum intima illa unione humani spiritus cum Deo, innu-

innumeræ illæ humani generis calamitates, miseriæ, infelicitas, quas sentire quidem nostrum est, referre vero atque oratione complecti, ne universæ quidem omnium hominum mentes & linguæ possunt? Homines Deo intime unitos, omnia in Deo videntes, Dei ipsius visione donatos, quorum intimæ ideæ Deus ipse sunt, homines, inquam, sublimi adeo conditione vitam agentes, miseros tamen esse, infelices, omnium calamitatum pondere pressos, ægros, pauperes, insanos, fame, peste, laboribus, infinita malorum colluvie semper afflictos? Dei ergo visio, Deo semper esse intima unione conjunctos, hominum beatitudinem secum non afferunt.

720. 5. Unde vero est, quod in singulis hominibus mira plane deprehenditur idearum, cognitionum, & scientiarum varietas? Si omnium mortalium animæ Deo, perfectissimæ omnium rerum ideæ, sunt intrinsecus unitæ; quid caussæ est, quod non modo idearum numero specie generibusque distinguamur, sed, quod majus est, circa unam eamdemque rem alius ab alio longissime distet, quod uni repræsentatur verum, falsum ab alio pronuntietur? Si Deus omnium rerum idea nobis est, omniaque in ejusmodi idea videmus, quæ quidem non modo per essentiam suam vera, sed pura etiam, atque infinita veritas existit; si præterea animæ omnes humanæ secundum hominum omnium sensum ejusdem perfectionis habentur; si omnes pariter cum Deo uniti existimus; unde, quæso, est vix non infinita in humanis judiciis, ideis, cognitionibus varietas? Illud etiam accedit, quod universi mortales, unus plane idemque homo studio, ætate, labore ideas acquirat, in rerum cognitione proficiat, ignorantiam depellat, comparet scientiam, doctus tandem evadat: intimane humanarum animarum unio cum Deo tempore augetur, studio, laboreque nostro evadit perfectior? Scientiæ succedit aliquando ignorantia, doctæ sæpe mentes repuerascunt, in delirium, hebetudinem desipiscunt; fitne tunc in humanis mentibus aliqua unionis vicissitudo? Quid etiam in somnis? parumper ne dum dormiunt mortales, essentialis illa unio intermittit, excusso somno instauranda? Fusius tamen ista non prosequamur, ne in re non probabili serio rejicienda tempus male collocemus.

Si

Si quis fusissimam *Malebranchii* confutationem desiderat; *Arnaldum* (*a*), *Locke* (*b*) *Poiretum* (*c*) adeat, qui omnium primi in hominis systema scripserunt. Id sane est, quod modo agitamus argumentum, in quo rejiciendo numquam, si velis, dicendi finem facias.

721. Argumenta *Malebranchii* sunt ejusmodi. Nulla alia est probabilis sententia, inquit, ad idearum naturam, & originem explicandum a philosophis hactenus excogitata: atque hæc præterea una illa est, quæ & quæstionem solvat, & difficultates tollat, & intelligi aliqua ratione possit. 2. Est utique in natura divina mundus intelligibilis, in quo omnium rerum ideæ, & notiones continentur: vel etiam est Deus repræsentatio, atque idea omnium rerum: Si ergo mens humana physice, atque per naturam suam uniatur cum Deo, cum mundo illo intelligibili, cum essentiali rerum omnium notione; fieri non poterit, quin ejus unionis ope mundum illum intelligibilem non participet, rerum ideas non videat. Unitur vero, pergit, & arctissime quidem cum Deo humanus spiritus: est enim Deus infinita extensio spiritualis, eaque propter proprius spirituum locus est, in quo ipsi naturæ conditione necessario existunt, atque intime penetrantur: ejusmodi idcirco spirituali spatio, atque intimo spirituum loco sunt omnes humanæ mentes intrinsecus unitæ. 3. Quin immo longe arctius cum Deo, quam cum corpore unitur anima, inquit: etsi enim secundam hanc unionem cogitando, aut re ipsa tollamus; ipse nihilominus spiritus manet, statum tantummodo mutat, naturam, existentiam, conditionem, & cogitandi facultatem servat: alia omnia sunt, si unionem inter mentem, & Deum parumper interrumpi consideremus: ea enim vero sublata, in nihilum statim abiret anima.

722. 4. *Sacram* etiam paginam, & divi *Augustini* auctoritatem in partes vocat. Deus est, inquit, *qui docet hominem scientiam* (*d*): præterea *Deus non longe est*

(a) De veris, & falsis ideis.
(b) Oeuvres diverses tom. 2.
(c) Cogitat. rational. lib. 3.
(d) Psalm. 3. ver. 10.

est ab unoquoque nostrum : in ipso vivimus, movemur, & sumus (*a*). Est enim vero *Deus Pater luminum* (*b*); Deus est, *qui manifestat philosophis, quæ ipsi sciunt* (*c*): & tandem Deus unus est, *qui est lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (*d*).

723. 5. Plurima tandem in *Augustino* leguntur secundum expositam sententiam prolata. *Deus*, inquit *Augustinus*, *intelligibilis lux, quo, & a quo, & per quem intelligibiliter lucent omnia* (*e*): in quem quidem sensum mille aliis in locis loquitur *Augustinus* (*f*). Ratio igitur, atque auctoritas omni exceptione major Malebranchii sententiam confirmant. Atque hæc illa omnia sunt, quæ ad opinionem suam probandum excogitavit clarus alias Metaphysicæ scriptor.

724. Respondeo; mirum videri posse, hæc una argumentorum momenta docti hominis mentem ad paradoxam illam sententiam amplectendum flexisse. *Primum* etsi esset verum; nostram quidem ignorantiam, sententiæ veritatem non ostenderet. Demus parumper nullam aliam sententiam hactenus excogitatam esset veram; felicior ne probabitur inde *Malebranche*? Vera una esse potest quæstionem explicandi, atque solvendi ratio; falsæ vero quamplurimæ: si unam demonstres veram, contrarias omnes falsas esse confecisti; contra tamen etsi aliæ tamquam falsæ rejiciantur, perperam idcirco veram pronuntiabis tuam: omnes fortasse eodem nævo laborant.

725. *Ad* 2. facile enim vero concedimus, Deum esse mundum intelligibilem; si recto sensu hæc propositio accipiatur, nihilque aliud significet, quam naturam ipsam divinam simplicissimam esse repræsentationem omnium rerum. Duo alia Malebranchio probanda supersunt, mentem esse Deo unitam; hujusque unionis beneficio omnia in Deo videre. Nego utrumque:

(a) Actorum 17. v. 28.
(b) Jacob. epist. cap. 1. v. 11.
(c) Ad Rom. 1. v. 19.
(d) Joan. 2. v. 9.
(e) *August.* Soliloq. 1.
(f) Vide *Aug.* de Trin. lib. 14. cap. 3. Confessionum lib. 10. cap. 26.

que: esse Deum extensionem spiritualem infinitam eo tantum sensu admitto, quo superius divinam immensitatem exposui. Hanc immensitatem, eum spiritum immensum, atque infinite diffusum spirituum locum nuncupemus: bene est; quid tamen? est ne corpus spatio unitum? Hujusmodi unionem plane nego; neque ullus concedit, neque probat auctor. Esse in loco, & esse loco unitum, duo sunt inter se longe diversa: si corpus in loco existens, eidem tamen unitum esse non probatur, aut ratione aliqua dici potest; quonam jure oppositum de spiritu, atque spirituali spatio affirmabitur? Praeterea humanarum mentium, atque naturae divinae unio compositum efficeret, cujus nos partes essemus: humanaeque mentes aut divinitatis modificationes, aut compositi divini partes existerent: quorum primum esset Spinosismus, secundum vero absurdissimus, & in Philosophia, & in Theologia error.

726. *Ad* 3. Quod tertio loco opponitur, falso innititur fundamento, & unionis notionem evertit. Argumentum unionem jam ponit probatam, aut concessam: eaque propter in sophisma illud *petitio principii* nuncupatum incidit. Sine corpore existere, atque cogitare anima potest, neutrum sine Deo esse, aut efficere: id tamen majoris quidem dependentiae, sed nullius unionis argumentum existit. Clariora haec sunt, quam ut in iis explicandis, aut probandis ulterius immorari debeamus.

727. *Ad* 4. Relatos sacrae paginae textus ad quaestionem philosophicam rationi, & communi sensui contrariam probandum adducere, est in Criticae regulas peccare, sanctorum librorum auctoritate abuti: quod quidem caeteris philosophis turpe, Cartesiano homini in praejudicia, auctoritatis abusum, severioris Criticae defectum declamanti turpissimum. In Deo enim vero omnes mortales *vivimus*, *movemur*, *sumus*: quodnam tamen in iis apparet unionis vestigium? ad spatium non ad unionem, aut compositionem ista ferri, atque significare confecimus. Caeteri qui afferuntur, textus unum istum habent obvium & naturalem sensum, mentes nos a Deo accepisse, quae spirituale illud lumen est, quo naturalibus rebus agnoscendis, atque distinguendis ducamur; ipsis praeterea hominum mentibus inspirationes addidisse, quae novum, perfectius, & super-

pernaturale sunt lumen, quo in sublimioribus veritatibus supernaturalibus ducimur, & illuminamur, cum in iis jam videndis naturalis humana ratio cæcutit.

728. *Augustini* verba platonicum sensum, non satis illum clarum, & intelligibilem continere videntur: ex quibus duplici quidem de capite argumentum desumere non licet: primo quia ipsa verborum & sensus obscuritas non satis mihi *Augustini* sensum circa unionem inter Deum, & humanas mentes significat. Relatis *Augustini* verbis, solvenda adhuc superest quæstio, estne scilicet *Augustini* sensus, ponitne *Augustinus* humanas mentes cum divinitate existere unitas? Rem esse dubiam, ne ipse quidem inficiabitur *Melabranche*: ex dubio auctoris sensu argumentum petere, parum est caussam promovere. 2. Sed liberaliter parumper concedamus, eum, quem dicis, *Augustini* sensum extitisse: ad rem igitur philosophicam probandam philosophi auctoritatem mihi libero philosopho adducis. Quonam ista evadant, quidque significent, aperte vides. Etsi mihi mille veteres, aut recentes philosophos, secundum Melabranchii sensum loquentes, & sentientes adduceres, hæc ego tibi semper urbane reponerem, non Græcorum phalangibus, aut recentiorum turmis, longisque nominum catalogis rationis lites dirimuntur. Atque ut & te, & doctam nominum turmam ex arena recipias, hæc una *Augustini* sententia compellet, *Credite Augustino probanti*, *non Augustino dicenti*. Atque pauca hæc in Malebranchii gratiam dixisse contenti, ad ulteriora gradum faciamus.

PROPOSITIO XX.

729. *Maxima nostrarum idearum pars per sensus comparatur: omnes tamen humanæ mentis ideas per sensus haberi, ita ut nihil sit in intellectu, quod prius non fuerit in sensu, falsum existimo.*

In obscurissimæ quæstionis examine prosequendo, ad *Lockii*, seu potius Scholasticorum sententiam examinandum accedimus. Dixerunt enim vero Scholastici, unus probavit *Joannes Locke*, omnes humanæ mentis ideas originem habere a sensibus: priores illi obscurissimam quæstionem per aliquot sæcula secundum *Aristotelis* mentem posuerant potius, quam exacte tra-

cta-

ftarent. Idearum originem male a Scholasticis probatam ad examen revocavit, rejecit, oppositam statuit *Des Cartes;* felicius tamen ille Scholasticos rejecit, quam suam exposuerit, statuerit, aut confirmaverit sententiam. Rem igitur non satis accurate utrinque discussam ad examen revocavit *Lockius*. *Cartesium* non satis sibi constantem rejecit, Scholasticorum opinionem oscitanter ab iis eo usque discussam diligentissime tractavit, & omnium primus pro rei dignitate examinavit. Qua quidem in re illud accidisse videmus, quod omni fere ætate observatur. Singulis fere sæculis sui sunt mores, vitia, virtutes, studiorum, & artium delectus: unus aut alter in medium prosilit, qui cæteris altius canit, viam aliis insternit: *fa la battuta del coro per un secolo*: leges alii accipiunt, constratam viam ingrediuntur, canenti concinunt. Hominem libere philosophantem philosophorum suffragia neque flectunt, neque in partes trahunt: post implicatissimum argumentum diu, multumque versatum, in quo aliorum opiniones rejicere facillimum, propriam statuere, & ab oppositis argumentis vindicare difficillimum est, alia me via incedendum existimavi. Quin *Cartesio*, aut *Platoni* subscribam, in *Lockii* tamen partes concedere non possum: mentem meam sequentia exponent..

730. Antequam tamen ad rem veniamus, utrisque partis sensus statuendus est. Secundum *Locke* anima omnes sibi ideas format prævia aliqua actione objectorum externorum per sensuum organa in animam agentium, illamque aliquo modo excitantium. Idcirco cogitare a sensibus, sensus ab objectorum actione, actio ab ipsorum existentia dependet. Anima sensibus omnibus destituta aut sensibus alias prædita, iis tamen prorsus feriantibus nullas haberet ideas, neque cogitaret. Anima proinde secundum hanc sententiam non semper cogitat: si objecta externa non existerent, essent tamen humanæ animæ; nihil illæ cogitarent. Idem plane esset, etsi hæc objecta, & anima, & sensus essent; dummodo in sensum nihil agerent objecta. Secundum idearum innatarum assertores anima, objectorum actione interveniente, ideas excitat jam antea in mente existentes, & innatas. Quod anima feriantibus omnino sensibus semper cogitet; id neque huic sententiæ opponitur, neque ab illius constitutione con-

sequitur : libere unusquisque secundum proprium philosophatur sensum. Quid interim innatarum idearum nomine significent, neque inter se conveniunt, neque satis constituunt.

731. Dum hasce ego philosophorum sententias evolvo, dum argumentum omni ex parte verto, & inspicio, dum me ipsum cogitantem, atque proprias ideas enucleare studeo, hæc apud me vera esse video, & statuo. 1. *Humanam mentem, dum in præsenti rerum statu vivimus, lumine ad quæstionis solutionem necessario destitui:* difficultatibus utrimque premimur, ne ad intimum totius rei caput, & fontem perveniamus. 2. *Omnes forsitan a scopo aberramus*. Quid enim si in medium prosiliat aliquis, qui neque ideas probet innatas, neque illas per sensus comparari existimet? Neque enim hæc duo ita sibi opponuntur, ut nihil medium admittant. Ita quidem res esset, si harmoniæ præstabilitæ admitteretur Dogma. Sed, ea prætermissa, nullus ne alius superest idearum originem explicandi modus, quin vel *Lockio*, vel idearum innatarum patronis adnumeremur? Utcumque res sit, nihil nos interim de ideis innatis pronuntiamus; hoc unum asserimus, humanos sensus universale idearum principium non esse.

732. Prima propositionis pars est, maximam nostrarum idearum partem a sensibus esse, seu ab anima, prævia aliqua objectorum per sensus actione, produci: longa id oratione conficere penitus superfluit. Rem experientia, & intimus conscientiæ sensus demonstrat. Hujusmodi sunt omnes ideæ simplices rerum materialium, ideæ intuitivæ, quarum notionem in Logica dedimus, ideæ compositæ, quarum objecta existunt in natura, atque uno verbo, omnes rerum materialium ideæ: quarum numero plures alias adjungimus *factitias*, *abstractas*, *fictitias*, *compositas*. Atque hac quidem in re unus est nodus implicatissimus solvendus, quonam scilicet pacto objecta ad sui ideas efformandum, aut in mente explicandas agant: qualisnam sit hujusmodi actio, quomodo ex actione ideæ in mente nascantur: quæ nos ea in re teneamus, superius jam exposuimus, & luculentius deinde explicabimus.

733. Secundam partem mihi probant sequentia. 1. Ideæ, atque notiones his nominibus significatæ, *lex*

naturalis, *lumen rationis*, *vox naturæ*, *testimonium*, *&* *argumentum naturæ*, *communis hominum sensus*, *naturalis rationis dictamen*, aut in mente non essent, aut objectum non haberent; si nihil est in mente, nisi a sensu. Absurdæ quæcumque propositiones in medium proferantur; ad rationis lumen, ad naturalem legem humanis cordibus, seu animis medullitus insculptam universi provocamus mortales: ne ipsi quidem *Lockius*, & Sensistæ universi ab hoc numero, atque lege excipiuntur. Demus parumper nullum materiale objectum esse, nullum sensum, nullam idearum per sensus comparationem: esset tamen in illa etiam hypothesi lex naturalis, humanæ mentes rationis lumine essent perfusæ. Duo ego in argumentum assumo, *legem aliquam naturalem*, *lumen aliquod rationis*, *atque dictamen existere omnibus hominibus commune*: & hoc primum. Hujusmodi vero *naturale rationis lumen a sensibus non dependere*, *sed ipsiusmet esse cogitantis animæ radiationem*, *aut aliud cogitanti spiritui insculptum*: & hoc alterum. Primum illud, quod Materialistæ fere tantum, atque Atheistæ inficiari audent, in ethica nostra luculenter demonstrabitur: liceatque modo citra ullum circuli periculum rem demonstrandam ponere. Absit ut oppositæ sententiæ, & præclaris ejusdem fautoribus notam inuram: duo tamen hæc facile ab omnibus animadvertuntur, nullum Materialistarum, aut Atheistarum esse, qui ideas omnes esse a sensibus non propugnet: nullus ex adverso innatas ideas asserere potest, quin materialismum, & atheismum rejiciat. Id ego non dico, quasi & sensista, & theista insimul esse nequeat philosophus: id unum assero, Atheistis aliqua ratione favet, qui ideam Dei, ideam boni, & mali, religionis naturalis, & alias similes non quidem a natura, sed a sensibus acquisitas, atque educationis opus esse dicat: quod quidem vulgatissima est omnium Materialistarum sententia.

134. Secundum quod superest, ita demonstro: ideæ sensuum in omnibus & singulis hominibus sunt diversæ: aut probari saltem non potest, quo duo etiam homines in sensu aliquo conveniant, eademque prorsus de eodem objecto per eumdem sensum eliciant ideam. Fuse id in Physica viventium, fusius etiam in Logica demonstravimus. Summa rei est: ideæ sensibiles objectorum ipsismet sensibus respondent: sensus au-

 tem

tem ex organorum partibus, earum textura, subtilitate, tensione, mollitie, statu, quiete, elasticitate pendent: postrema hæc non modo ipsa per se in omnibus hominibus differunt, verum & ab ea elementorum multiplicate nascuntur, quæ si vel in duobus hominibus convenirent, omnipotentis artificis opus esset omni prorsus admiratione dignum. In diversis idcirco hominibus diversos etiam esse eorumdem objectorum sensus, atque ideas, jure merito concludimus. Inde illud effluit in Logica fusius notatum, nostrum singulis plane esse ignotum, quænam apud alios sit dati cujuscumque objecti idea & sensus.

735. Ex physica hac veritate, levissime hic attacta, luculenter citatis in locis demonstrata, ita argumentum conficio. Lumen atque dictamen rationis, & lex naturalis in omnibus hominibus est eadem: ideæ vero rerum sensibiles sunt in singulis hominibus diversæ: quonam igitur modo mirabilem illam humanarum rationum concordiam ab ipsamet sensuum discordia originem trahere dicemus? Sensus & ideæ dissimiles, diversæ, contrariæ eumdem in mente effectum gignere non possunt. Si datus quicumque cibus delicatum unius, asperum & hebes alterius hominis palatum radit; pariter ne utrique homini probabitur ibi illius sapor, atque saporis sensus & idea? Si ergo omnia humana judicia, ratiocinationes, dictamina, si rationis lumen, atque lex etiam naturalis a sensuum functionibus, a sensu proveniunt; qui fieri unquam poterit, ut a tanta varietate eadem in omnibus hominibus proveniat boni & mali, veri atque falsi discretio? eadem a malo naturalis aversio, eadem ad bonum conversio? datum quodcumque malum naturali lege prohibitum, v. g. *suicidium* propone: ideas suicidii in omnibus hominibus a sensibus esse contendis: en igitur nos ad expositum dati cibi casum redactos: eumdem cibum, ejusque saporem alii quidem sani homines respuunt, alii ex adverso probant: pura hæc est lex palati, & ex sensus diversitate consequentia: unde ergo est, quod eumdem cibum non omnes sani probent, *suicidium* vero nullus sanæ mentis non execretur?

736. At argumentanti mihi vulgatam illam libertinorum materialistarum cantilenam interloqueris, nullum reapse esse rationis dictamen, naturalem legem,

mali & boni discretionem omnibus hominibus communem: quod in nostra Europa modo existimatur malum, ab aliis nationibus in remotissimis, nescio quos, terræ angulis viventibus, ab antiquissimis etiam Europeorum parentibus tamquam res indifferentes spectari: educationis id opus esse, politicum, aut religiosum præjudicium nuncupandum. 2. Neque in omnibus hominibus, aut etiam nationibus eamdem reapse esse a dato quocumque malo aversionem, parem ejusdem boni approbationem: omnia igitur cum multiplici illa sensuum varietate conveniunt: neque ab eodem cibo idem in diversis palatis æque vividus gignitur saporis sensus, neque pariter in diversis hominibus eadem est erga idem malum aversio: potius igitur hæc secundum sensistas, quam in illos adduci debuissent. Hæc ego omittenda non existimavi, ne in spinosissima quæstione evolvenda momenti aliquid a me prætermitti, vitio mihi dari posset. Quod primo loco opponitur, postulatum attingit, modo quidem indicatum, cujus demonstrationem cum in Ethica, tum etiam superius contra atheistas attulimus: si quæ citatis locis diximus, modo consulas; argumento, nisi fallor, amplius non insistes. Secundum ad rem nostram non pertinet: quod datum naturale malum alii præ aliis clarius cognoscant, vehementius aversentur, neque a nobis negatur, neque argumentum nostrum infringit: idem cibus, non modo est hominibus diversis inæqualiter gratus, sed, quod caput est, uni quidem est gratus, alteri omnino ingratus, huic quidem bonus, alteri vero malus: id vero ex sensuum indole provenire concedo; quandoquidem igitur ideæ rerum sensibus respondent, omnesque ideas ab illis provenire contendis; datum legis naturalis objectum prohibitum, uni quidem malum, innoxium atque bonum alteri haberetur: id vero de omnibus generatim bonis, & malis verum existeret.

737. 3. Non leve assertæ propositionis fundamentum ex humanarum cognitionum certitudine desumo. Si omnes ideæ sunt a sensibus; tota humanarum cognitionum, cujuscumque generis statuantur, veritas, atque certitudo in sensus, in objectorum existentiam refunditur. Universæ enim vero mentis cogitantis operationes, dubia, judicia, ratiocinationes aliud plane non sunt, quam idearum tractationes, conjunctio,

feparatio, comparatio mente facta, aut ideæ ipfæ alio & alio modo ab anima tractatæ: uno verbo, noftræ omnes cognitiones aut funt puræ ideæ, aut ex ideis tandem fiunt. Ex quo ita argumentor: fi ita res eft; nulla in humanis mentibus effe poffet certitudo, evidentia, aut firmitas affenfionis maior; quam eft illa fenfuum, feu phyfica corporum exiftentia; de nulla propofitione, ne clariffimo quidem axiomate, *totum eft majus fua parte: exifto: duo latera trianguli reliquo funt majora*, certior effe poffet humana ratio, quam de corporum exiftentia effet. Corporum exiftentia inter evidentiffimas, atque certiffimas totius humanæ fcientiæ veritates primum haberet locum: nullique aut demonftrationi, aut fcientiarum axiomati per fe ipfum evidenti cederet: evidentia phyfica, feu argumentum fenfuum aut fummum effet veritatis criterium, aut nulli faltem certitudine, & evidentia cederet. Allatum modo axioma, *totum eft majus fua parte*, in exemplum affumamus: maiorem fane effe huius propofitionis evidentiam, maiorique affenfus firmitate teneri, quam hæc alia, *corpora naturalia exiftunt*, nullus in dubium vertit. Si ergo conftanti huic veritati idearum a fenfibus origo adverfetur; falfam hanc effe non amplius hæreamus: id vero eft demonftratu facillimum.

738. Propofitio illa, *totum eft majus fua parte*, totaque illius evidentia ab ideis totius, & partium pendet: has duas ideas fenfu comparamus, materialem fcilicet extenfionem videndo, atque tangendo acquirimus. Si fenfus non haberemus; non modo axioma illud, fed nihil anima noftra cogitaret, fecundum eorum philofophorum fententiam: quoniam igitur iis auctoribus ideæ omnes a fenfibus habentur, fenfus vero, atque idea ab obiectorum exiftentia pendent; eatenus certa mihi effe poffet adductæ propofitionis veritas, quatenus certa eft corporum exiftentia: uno verbo, nulla propofitio, aut veritas unico illo fundamento certior, & verior effe poteft, in quod ipfa refolvitur, & a cuius veritate, & exiftentia omnino pendet. Quid enim? Eftne fuperimpofita fabrica totius operis fundamento firmior? At enim omnes humanæ mentis cognitiones, eruditio, fcientia ideis innititur; omnes ideæ veris tantummodo obiectorum, feu corporum exiftentiis infiftunt: eo tantum fundamen-

to labente, nulla amplius superesset in humana mente cogitatio, nulla certitudo, nulla assensio, aut assensionis firmitas: neque certior, neque clarior mihi esse potest axiomatis veritas, quam corporum existentia habeatur. Atqui nullus plane est, qui firmius, maiorique claritate, atque tenacitate adducto axiomati, aliisque scientiarum propositionibus sola ratione demonstratis, quam corporum existentiæ non adhæreat, atque assensum adhibeat: maior hæc evidentia, claritas, certitudo, assensionis firmitas a minori esse non potest.

730. Ut clarior adhuc appareat argumenti veritas; sensistam philosophum una & pyrrhonicum, aut idealistam in arenam deducamus. Quonam pacto sensista ab importuno pyrrhonico sardonico risu omnia excipienti, ab idealista, ingenium experiri cupido, se se expediat, parumper consideremus. Ludicra hæc idearum conflictatio propositionem nostram, nisi fallor, non parum confirmabit. Hoc ego argumentum in Logica exposui, cum de Pyrrhonismo sermo fuit. Nihil certi in humanis scientiis, & cognitionibus haberi, ex eo capite argumentatur Pyrrhonicus, quod quæcumque humanæ cognitiones, scientiæ, demonstrationes, axiomata in ideas, in sensus, in obiectorum existentiam, & actiones in animam nostram refundantur: sensus igitur, certitudo physica, hoc est, fallax, unum est totius humanæ scientiæ, & certitudinis fundamentum. Corporum similiter existentiam aut negat, aut dubiam illam esse audacter tibi affirmabit idealista. In eos sane Philosophos ex intimo, & clarissimo conscientiæ sensu, ex bonitate Dei evidenter demonstrata, ex evidentia rationis argumentando, corporum existentiam demonstras. Bene est, re pro libito declamante serena fronte, & pariter audito, amplissimæ tamen hæ, quæret, tot argumentorum, & demonstrationum ideales machinæ unde tibi in mentem venerunt? quonam principio, atque fundamento innituntur? Sensu, repones: unde vero sensus? perget: a corporum existentia, subjungis Philosophus sensista. Bene est, prosequitur idealista: existentiam igitur corporum ab eorumdem existentia probas: illam scilicet eo argumento deducis, quod in ipsam existentiam resolvitur. Istane vero; quin vitiosum cir-

culum committas, & super labilem arenam totam extruas fabricam?

740. 2. Totum argumentum, pergit, in fallaces sensus refunditur: majorem vero rationi, & conscientiæ claritatem, pondus, firmitatem dare, quam illa sit primi fundamenti, cui duo illa innituntur? Attamen demus id parumper: clarius sit, & firmius conscientiæ, atque rationis, quam physicum sensuum testimonium, atque argumentum: sana hæc philosophandi atque statuendi ratio cum sensistarum sententia stare non posse videtur: illa major rationis claritas, evidentia alterius generis, certitudinis excessus non est a sensibus. Quo pacto se se a Pyrrhonicis, & Idealistis Philosophis expediat, & rem suam ab allato argumento vindicet sensuum fautor, non satis video. Interim nos adducta non tangit difficultas qui aliam sensuum, aliam rationis provinciam agnoscimus; neque omnia a sensibus derivamus.

741. 4. Sed quid est ideas omnes esse ab objectis per sensus in animam agentibus? Duo hisce nominibus impræsentiarum significari possunt. Primum, ideas rerum ab animæ actibus distinctas ab objectis per sensus in anima produci, seu in illam transmitti. Secundum; ideas quidem proprios esse animæ actus, atque perceptiones, quarum tamen nullam anima eliciat, quin prius ab objecto aliquo externo per organa sensuum excitetur. Ideas in priori illo sensu acceptas ab objectis esse non posse, luculenter illa omnia demonstrant, quibus ideas esse animæ actus, atque perceptiones superius confecimus. Secundum ne dicatur, rationes huc usque expositæ faciunt; neque eo in sensu ideæ rerum ab objectis, aut sensibus reapse proveniunt. Ea siquidem in hypothesi totum suum esse habent ab anima, vera & unica illarum caussa: objecta vero nonnisi quædam excitationes existunt.

742. Quid ergo? Non omnes ideas a sensibus esse dicimus: ideas ergo innatas admittimus? Quid nos quæstioni respondeamus, ex sequenti propositione constabit: notasse interim sufficiat, esse aliquid inter utramque illam sententiam medium. *Lockius* duplici argumentorum genere agit, primo quidem, ut ideas innatas rejiciat; aliis vero suammet sententiam confirmat: postrema modo solvamus, priora deinde allaturi.

743. Pri-

743. Primo inquit *Locke*, quæstionem definire videtur experientia: nullius objecti habemus ideam, nisi prius in sensum aliquem nostrum cadat, atque ab objecto ipso externo per sensum in animam derivetur idea. Paulatim semper omnes ideæ a mente nostra comparantur; prout objecta ipsa paulatim etiam, atque ordine suo in sensus cadunt. Clariusne desideratur ab experientia argumentum? Resp. Præsens hæc idearum quæstio ex iis est, quas experientia solvere non potest: ad experientiam provocare, aliud non est, quam litem ad non legitimum judicem afferre. Rem non negabis, si primum hoc animadvertas, experientia probari non posse, ferietur ne aliquando a cogitando anima, an potius semper, feriantibus etiam sensibus, cogitet; ut in loco probavimus: atqui primum hoc experientia dirimere deberet, ut præcipua tandem quæstio ab eodem posset pronuntiari judice. Si anima semper cogitat; ideæ non sunt a sensibus: animam vero non semper cogitare, sensus, & experientia non dirimit. Demus tamen parumper, nullam a nobis acquiri singularem ideam, cuius nulla insinuatio, aut excitatio ab externis objectis per sensus perveniat, idque præterea experientia diremptum concedamus. Utcumque id statuatur verum; perperam inde objecta esse veras suarum idearum caussas, ejusmodique ideas jam ante in anima non extitisse insculptas pronuntiabis: tota illa objectorum actio pura esse potest idearum jam antea in anima existentium excitatio sensibilis. Quod scilicet *Lockius* idearum productionem nuncupat, excitationem dicunt alii.

744. Bene est, inquiunt, ab experientia igitur habemus, aut verum saltem admittitis, nullam in mente esse ideam, quin ab objectis pendeat, & objectorum actio per sensus in animam præcedat: si ergo hoc unum contendat *Lockius*, nihil aliunde sollicitus, sintne objecta veræ caussæ, an puræ tantum suarum idearum occasiones excitantes; caussam per nos iam tenet. Resp. Tota hæc ratiocinatio fallit: 1. Si id unum vellent sensistæ; ideas innatas non amplius negarent. Qui enim putam ab objectis excitationem idearum statuit, non ille quidem ideas in mente insculptas non esse definit, quæ sola excitatione opus habeant: plurimi idearum innatarum fautores duo hæc adstruunt, ideas esse menti innatas, excitari tamen opus esse.

2. O-

2. Qui ita philosophatur, id iam aperte fatetur, ideas rerum neque ab obiectis transmitti, neque produci, solamque animam statuit veram suarum idearum caussam; quod sane est a proprio quaestionis sensu non parum deflectere.

745. 3. Sed ne id quidem experientia definit: quid enim? Experientiae testimonio animam non semper cogitare definies? at opposita omnia superius demonstravimus. Duo tantum haec experientia habemus. 1. proprias singularium obiectorum ideas tum solum modo sensibili in anima nostra splendescere, cum obiectorum actio per sensus in animam praecedit; quin interim constet, utrum ideae ad praesentia obiecta explicentur, radient, ab anima, aut ab obiectis producantur. 2. Utrum vero omnes ideae, cognitiones, cogitationes eo modo in anima generentur, ita ut anima antequam sentiat, hoc est, cogitationem sensibilem habeat, nihil plane ratione, & modo insensibili cogitet, atque percipiat, experientia non constat.

746. Argumentatur secundo *Lockius*: Acquisitio idearum per sensus modus sane est idearum originem explicandi, qui & existit in natura, & ad omnium idearum originem explicandam sufficit: ea propter secundum illam philosophandi regulam, *effectuum illae statuendae sunt caussae, quae, & verae sint, & ad effectus explicandos sufficiant*, haec una statui, atque admitti debet idearum origo. Exemplo res illustrabitur: per oculos sane colorum ideas comparamus: quis enim caecus aliquam de iis ideam umquam habuit? idcirco quoniam ratio colorum ideas per oculos comparandi vera est, atque ad eiusmodi acquisitionem explicandam sufficit; ridiculum plane esset, omissa sufficienti, & vera caussa, aliam adstruere, quae dubia saltem existat, & ad integrum effectum explicandum non sufficit. Resp. Hoc, & sequentia argumenta secundum duplicem sententiam, & innatarum idearum, & radiationis intellectualis citra innatas ideas atque sensus, solvi possunt. Secundum utramque totum negatur argumentum: quod ut clarius fiat, duplicem eius sensum distinguamus. Vel sensus, seu obiecta ponuntur ut sufficientes, & verae caussae idearum, vel tantummodo purae dicuntur esse conditiones: si primum, quod propria videtur sensistarum opinio; obiecta neque ullius ideae sunt verae caussae, neque ad omnes explicandum

suf-

sufficiunt. Objecta non esse veras, & proprias idearum caussas, demonstratum superius est: eam caussam statuimus, nos quidem in animæ activitate; in Deo autem innatarum idearum assertores: qui una nobiscum conveniunt, caussæ idearum munus objectis tribui non posse. Neque etiam ad effectum explicandum, & producendum sufficere, etiamsi veræ caussæ existerent, ex eo præter alia luculenter patet, quod effectus caussis suis esset prefectior, ut superius demonstravimus. Si ponatur tantummodo secundum; neque etiam dici potest, sensuum actiones ad omnes ideas præcedere, ad omnium originem explicandam sufficere. Primum quod attinet, hoc unum asserere possumus, singulares objectorum actiones ad id præcedere, ut anima singulares etiam, & sensibiles eorum objectorum perceptiones radiatione producat, seu radiatione intellectuali sensibiles objectorum cognitiones eliciat: unde tamen constat, præter sensibiles ejusmodi objectorum cognitiones, seu ideas, plures alias a mente non elici, seu irradiare, ad quas nulla sensuum actio præcedere debeat? Conscientia sui, qua anima se ipsam spirituali quodam modo sentit, ad ejusmodi idearum radiationem pertinet. Quid sensus ad meam mei ipsius cogitantis conscientiam?

747. At vividior etiam hæc, repones, sui ipsius conscientia, non nisi post sensum consequitur. ℞. Etiamsi istud liberaliter darem, nihil inde in nos deduci merito posset. Esse enim post sensum, aut una simul cum sensu, idem sane non est, atque esse a sensibus. Anima spirituale illud activum & vivacissimum lumen, ad radiationem semper adnitens, in ideas, perceptiones, cogitationes effunditur, explicatur, cum primum per impedimentorum remotionem potest; cum ad eum statum, aut conditionem pervenit; tum vero ut plurimum in sensum etiam irradiat. Duos hic agnosco actionum, seu perceptionum, atque radiationum ordines: ad imperfectiorem, atque ignobiliorem universi sensus, ad sublimiorem alium conscientia, rationales cognitiones evidentes spectant. Sæpissime fit, ut utriusque ordinis actus eliciat anima; cum scilicet & præsens objectum sentit, & spirituali etiam modo cogitat: nonnumquam tantummodo sentit, sæpe etiam omni prorsus sensu feriante, semetipsam, veritates alias intelligibiles cogitat. Quod vero ad primas ideas,

seu

etiam innatarum idearum rejiciendarum effluit, plurium scilicet rerum superfluitas, dum una eademque utrumque munus non modo peragi potest, sed in rei veritate peragitur. Ad quid enim diversas illas rerum imagunculas ab objectis & mentis actibus distinctas effectus explicandi gratia adstruere, ad quem & formandum, & explicandum solius mentis activitas & actus, qui procul dubio existunt, satis esse probantur? Id sane esset & in philosophandi regulas, & in vulgare illud effatum peccare, *non sunt multiplicanda entia absque necessitate*.

750. 3. Ideas innatas bene multis argumentis rejicit, atque impugnat *Locke*; quae tamen meo judicio id unum probant, illas nullo argumento efficaciter probari. Ea sunt, quae modo subjicio, quorum momenta Lectori aestimanda relinquo. 1. Si aliquid humanae menti innatum atque a prima origine impressum existit; ejusmodi maxime sunt universalia, atque evidentia legis naturalis, & scientiarum principia, seu axiomata, quae propositiones per se notae nuncupantur, v. g. *omne malum est fugiendum: quod tibi non vis, alteri ne feceris: idem non potest simul esse, & non esse*, & alia hujusmodi: admittunt: atqui tamen illa non sunt animae humanae innata, pergit *Locke*: etenim illa principia non sunt universalia, hoc est, omnibus hominibus nota, ab omnibus admissa: quot enim & in singulis nationibus homines, & integrae etiam nationes, principia illa penitus ignorant? Ut eos interim Pantheistas, & Materialistas praetermittam, qui morum principia omnia non nisi ab hominum conventionibus esse statuunt. Deinde sensuum ministerio in illa principia devenimus, ea statuimus, & nobis comparamus: sensibilium rerum ideas sensuum ministerio partes mens humana tractando, percipiendo, comparando, componendo, dividendo, abstrahendo, ab ideis singularibus paulatim ascendendo universales illos ideales canones condit. Puerorum equidem, insanorum, rudium agrestiumqne hominum mentibus nota non sunt illa omnia principia: at esse innatum, est esse animae impressum: menti autem imprimi, & tamen non esse notum, impossibile apparet.

751. Hoc argumentum contra innatarum idearum assertores nullius plane momenti existit. Rei summa est, possit ne idea esse menti impressa, & a mente nihilo-

nihilominus non animadverti. Si id admittatur; totum ruit argumentum. At, velit nolit sensista Philosophus, illud plane est verissimum: plurima enim sunt in intellectu, quæ non animadvertuntur, neque actu percipiuntur, nisi attentio abhibeatur. Quid enim, amabo, tum cum senescimus, repuerascimus, dormimus, aut ob ægritudinem notarum antea rerum ideas non amplius recordamur? Sunt illæ sane in mente: cum sæpe fiat, ut citra novum studium, aut aliquam objectorum actionem obliteratæ illæ ideæ sponte iterum reluceant: erant idcirco in mente latentes, & in illa veluti impressæ; quocumque modo ejusmodi impressionem secundum eos Philosophos concipias, & statuas. Actum igitur est de adducto *Lockii* argumento: ideam esse mente impressam, seu menti inesse, idem plane non est, atque se se menti manifestare, a mente animadverti. Quomodo tamen, prosequitur *Locke*, quæ numquam mens percepit, in mente esse possunt; aut in mente esse affirmabitur? Sed hæc eodem modo ex superiori responsione cadunt: sunt sæpe in mente, quæ amplius mens non percipit; ut in homine docto repuerascente animadvertimus: cur igitur in pueri mente posse esse non dicemus, quæ tenella ejus mens adhuc non perceperit; si postmodum in illa erunt, quæ jam amplius non animadvertet? Quamdiu in corpore est anima, plurimum activa ejusdem explicatio impeditur.

752. Non igitur ii Philosophi ideas innatas ex sese manifestari, a mente percipi, proprionet earum lumine citra ullum studium, laborem, contentionem, experientiam menti innotescere, & in illam irradiare concedunt. Ad innatarum idearum manifestationem mentis studium, reflexionem, experientiam, externorum objectorum actiones opus esse fatentur. Quamplurima principia certa, & utilia humanæ menti innata esse existimant: præsentem tamen eorum repræsentationem perinde a mente acquiri, ut sensistæ etiam adstruunt. Quod hi ad ideas comparandum, innatarum idearum fautores ad ideas excitandum, & cognitionem rerum in iis ideis acquirendam opus esse statuunt. Studio, labore, experientia, reflexione opus habet anima, ut ideas secundum primos quidem de novo comparet; secundum posteriores vero, ut antiquas, & innatas excitet. Quod primi per sensus *acquirere* dicunt;

dicunt; *excitare*, *detegere* dicunt secundi: unde iterum patet, idearum nomine aliquid ab utraque parte intelligi, & a cognitionibus, seu actibus animæ, & ab animæ ipsius facultate distinctum.

753. 2. Opponit *Locke:* Si qua principia sunt menti innata; ejusmodi pariter erunt omnes evidentes, atque necessariæ veritates: omnes propositiones æternæ veritatis, immutabiles, necessariæ pari ratione dici deberent innatæ. Rem totam admittit *Sherlok* & non pauci alii ejusdem sententiæ fautores. Sed si rem ita statuant; omnium fere rerum ideæ erunt innatæ: quod quidem omni destituitur fundamento.

754. Hucusque generalem idearum originem a sensibus, & ideas etiam innatas rigoroso sensu usurpatas rejecimus: qualem tamen nos idearum originem probamus? Sunt ne omnes a sensibus, sunt ne omnes, aut aliquæ innatæ? a diversis ne caussis, principiis, & fontibus ideas derivamus? Quonam autem modo a sensibus, quonam modo innatæ esse possunt? Quid ego in re obscurissima mihimetipsi post diuturnam meditationem cogitem, modo exponam.

PROPOSITIO XXII.

755. *Ideæ rerum in anima, quibus objecta repræsentantur, sunt intellectuales illæ & spirituales radiationes mentis, quasi luminis, interna sua energia se se spirituali modo expandentis, & illuminantis.*

Si hujusmodi radiationem, & nativum mentis lumen, quo se se veluti illuminando, objecta clare, vel confuse videt, innatam ideam nuncupare velis, atque a vero, & proprio hujus vocabuli sensu recedere; per me licet. In hunc ego modum rem meditando concipio, me ipsum cogitare intelligo. Spiritus seu mens nostra per naturam suam activa existit, aut per naturam suam semper agit, aut semper agere adnititur. Id sane est, quod, præter notionem spiritus, irrequieta illa nostrarum mentium, & cogitationum ratio, atque modus demonstrant. Tuammet mentem ab objecto in objectum, ab ideis in ideas perenniter prætervolantem, aut prætervolare adnitentem parumper considera, & rem tibi ipsi persuadebis: notio igitur rei,

con-

conſcientia, communis ſenſus, & experientia primum hoc caput probant.

756. 2. Mentes etiam, ſeu animas cogitantes, tamquam ſpiritualia lumina (liceat materialibus hiſce ideis ſublimiora explicare) activa ſplendendi virtute prædita, mihi ego confidero, & nobiliori quadam ratione eſſe intelligo. Nihil ſane in rebus eſt, quo melius noſtras mentes concipere, aut explicare poſſimus; quantum ſpiritualia, atque ſublimioris ordinis objecta corporeis hiſce rebus exponi poſſunt. Non idealem a me, atque precariam ſtatui hypotheſim, vel ipſa nos docet natura. Inſtinctu neſcio quo noſtræmet rationis ducti ignorantiam tenebras, claram cognitionem, atque ſcientiam nuncupamus lumen: cæteros omnes mentis ſtatus inter duo hæc extrema poſitos conjecturam, dubium, opiniones, fidem, omnem probabilitatum provinciam ſpiſſioribus rarioribuſque umbris exprimimus. Humanas igitur mentes activos eſſe ſpiritus, & totam ſpiritualium luminum virtutem perfectiori modo habere, natura duce ſuademur. Quænam a duobus hiſce profluant, expendamus.

757. 3. Proprium ſpiritus cogitantis agere eſt cogitare, & intelligere. Id ipſum eſt humanarum animarum vivere, atque vivendi exercitium (*). Quoniam autem anima eſt inſimul ſpirituale illud lumen, quo ſe ſe circa objecta explicat, illuminat, irradiat; intelligentis luminis actio eſt ipſummet animæ vivere, cogitare, intelligere, objecta percipere, illa ſibi percipiendo repræſentare. Activi ſpiritualis, & intelligentis luminis actio eſt ſpiritualis quædam radiatio, & percipientis energiæ, atque luminis explicatio. Spiritualis hæc cogitantis luminis ſeu mentis radiatio ab activa ſpiritus energia, & ſe ſe explicandi, & irradiandi virtute profluens, eſt inſimul actus ille, quo anima in ſe ſe objecta repræſentat: duo hæc ultima & a notione luminis, & ab idea ſpiritus deſcendunt, & ulterius etiam ex danda modo analogia confirmantur.

758.

(*) Vitam ego hic rationalem, ſpirituum propriam intelligo: aliunde enim quamdiu homo nutritur, etſi non cogitet, dummodo habeat animam, mortuum non dici, in Phyſica viventium expoſui.

758. Materiale lumen ex propria atque intrinseca sua energia circumquaque irradiat, vires suas diffundit, luminisque splendorem emittit. Simile aliquid in rebus elasticis habemus: corpus elasticum, undecumque sua illi proveniat virtus, collectas in se ipso vires habet, quibus se se circumquaque expandit, suoque modo irradiat. Latum quidem inter elastica, & materiale lumen intercedit discrimen; latissima inter materialem lucem, atque spirituales mentis humanæ radiationes, intelligentiam, lumen, est differentia: Quanta scilicet inter materiam, & spiritualem substantiam admittere oportet: analogiam tamen, non identitatem quærimus. Ista proculdubio materialis luminis radiatio, atque diffusio ab ipsiusmet luminis energia provenit, illiusque effectus existit. Perfecta rerum analogia facit, ut similia de spirituali animæ cogitantis explicatione, radiatione, & illuminatione dicamus. In utroque casu nova aliqua entitas non producitur: eademmet lux & explicatur, & explicat: neque novum aliquid in iis apparet, nisi nova antiquæ substantiæ modificatio, ab activa ipsiusmet substantiæ virtute profluens.

759. Generalis illa luminis radiatio, quamdiu in aliquod corpus non incidit, pura quidem est illuminatio, quin aliquod objectum illuminet, ejus colores aut figuram exprimat, quin lumen animadvertatur. Quam primum autem viva illa luminis actio, atque radiatio in corpora illabitur, in iisque propriæ energiæ ratione modificatur, reflectitur, refringitur; tum vero illuminatio illa antea pura, & sincera, fit modo eorumdemmet objectorum color, & expressio, ipsorum magnitudinem, figuram, accidentia cætera repræsentat, ut in optica physica demonstramus. Analogus iis rebus est humanæ mentis status, analogæ cogitantis spiritus operationes, quantum materiæ, & spirituum rationes patiuntur. Intellectuales radiationes, quibus se, & objecta spirituali modo intelligendo illuminat, ab anima proculdubio effluunt, verique, & propriæ ejus energiæ actus existunt. Hujusmodi vero actus sunt in anima ideæ, perceptiones, atque repræsentationes rerum. Materialis luminis radiatio in objectum illabens, & modificata objectum repræsentat: quid autem est idea nisi spiritualis objectorum repræsentatio? Ex quibus id etiam consequitur superius jam a nobis stabili-

tum, omnes animæ perceptiones, cognitiones, ideas proprie dictas, veros esse animæ ipsius actus, mentis cogitantis effectus, a mente, tamquam a principio, & caussa effluentes. Omnia hæc sibi cohærent. Omnes mentis actus, quocumque donentur nomine, ab anima esse, proprios mentis cogitantis effectus existere, supra demonstravimus: id vero cum exposita hactenus doctrina cohærere, nullamque aliam nobis superesse rationem, qua aliquam de humanæ mentis actuum productione ideam comparemus, tum demum vel invitus fateberis, cum, partium studiis parumper depositis, tuosmet mentis actus, tuum velle, & nolle, intelligere, percipere solus meditere, & aliquam de hisce rebus ideam aliis exponere adnitaris. Quam hactenus exposui doctrinam, intelligunt omnes; claram de physicis hisce veritatibus ideam nobis comparamus: eo etiam nos fert natura, ut mentis humanæ indolem, genium, operationes iisdem vocabulis, earumdem idearum similitudine concipiamus, existimemus, explicemus. Nihil est, quod datæ explicationi, & mentis nostræ genio opponatur: quid igitur in hac idearum origine stabilienda, probanda, adstruenda, confirmanda hærebimus, si omnes humanæ mentis actuum proprietates secundum hanc sententiam exponantur? Sed ut clariora fiant omnia, rem ulterius prosequamur.

760. Quamdiu hæc intellectualis luminis radiatio est pura, per purum velut spatium diffusa, quin in aliquod objectum a mente ipsa diversum modificetur; is sane mentis status erit conscientia, generalium veritatum perceptio, atque intelligentia; quin certum aliquod & singulare objectum in ejusmodi radiatione appareat, aut illa mentis explicatio, & modus objecti alicujus singularis propria idea existat. Cum irradians lumen in singularium objectorum phantasmatibus ex intrinseca mentis energia modificatur, & modificatum in animam, seu in se ipsum veluti reflectitur; tum vero hujusmodi radiationes singularium eorum objectorum repræsentationes, visiones, & (si ita loqui fas est) colores, & figura existunt: id vero sunt objectorum ideæ in anima.

761. Claritas idearum a claritate, atque intensione sese explicantis luminis tota est: utraque hæc perfectio est in Deo infinita. Numen ipsum, quod per suammet naturam æterna est & infinita rerum omnium

pos-

possibilium visio, & intelligentia, est etiam simplicissimo modo, & infinite clara, & infinite intensa, semper in eodem actu constans, omnis modificationis, aut vicissitudinis incapax. In infinito illo æterno, atque inacesso lumine ulterius perscrutari, humanis mentibus non licet. Ex utroque illo claritatis idearum fonte quanta sit, & quotuplex in hominibus claritatis idearum varietas, sponte descendit. Non modo in diversis, sed in uno eodemque homine, eadem scilicet mentis energia, & intensione consistente, modo magis, modo minus mens humana explicatur. Id quidem in diversis hominibus (posita semper æquali humanarum animarum perfectione) constans & infinita fere temperamentorum diversitas; in eodem vero homine temporanea ejusdem temperamenti conditio, & vicissitudo juvando, aut impediendo efficiunt. Et hinc pro diverso ejusdem hominis statu, temperie, ætate clarior obscuriorve fit humanæ eius mentis explicatio: clarius aliquando, confusius postea rerum ideas concipimus, mentis acies explicatur. Quod si spiritus perfectione inter se differant; tum vero claritatis idearum diversitas ab intima, & essentiali eorumdem spirituum energia potissimum pendet. Quanta enim vero in materialibus etiam luminibus claritatis diversitas? Hæc etiam illuminationis claritas a duobus indicatis fontibus profluit.

762. Duplicem intellectualis humanæ lucis explicationem, sensibilem nimirum, & rationalem agnoscimus, & statuimus. Ad priorem sensuum ministerium intervenit, duæque veluti actiones in illa distingui possunt, animæ scilicet genio suo se se explicantis, & objecti etiam in explicantem mentem aliquo modo agentis. A vero forsan non abludemus, si in duplicem hanc actionem referamus, quod vehementior in nobis sit, & vividius ab anima animadvertatur prima illa mentis explicatio, quam sensibilium rerum ideam nuncupamus. Secunda est pura mentis se se genio suo explicantis intelligentia. Prior ex genere suo est imperfectior, quam secunda: ex quo etiam capite sensibiles ideæ ideas rationales in anima forsan præcedunt; & a sensuum ideis anima forsan incipit. *Forsan*, dixi; dubium enim superius statuimus, neque ab ullo mortalium definiri potest, cogitet necne semper anima. Quamdiu hæc non solvatur quæstio, cujus solutioni

impares existimus; ad ideas omnes aliquem semper præcedere sensum, dicere nequaquam possumus. Quamcumque tamen partem teneas, certum mihi est, rationalem mentis explicationem a sensibili alia non dependere.

763. Bene est, opponet hic aliquis, is tamen secundum multos esse videtur quæstionis sensus, atque nodus, sintne omnes ideæ a sensu, hoc est, per sensum; an potius aliquæ illarum sint, quæ aut sensum præcedant, aut licet sensum tantummodo comitentur, vel subsequantur, a sensu nequaquam pendeant? Quæ nostra est circa quæstionem hoc modo intellectam sententia? Respondeo: qui præsentem de idearum origine quæstionem ad id rei tantummodo reducunt, ii quidem idearum originem, productionem, caussam physicam neque explicant, neque explicare aggrediuntur. Id unum utcumque probasse contenti, nullam in humana mente esse ideam, cognitionem, & perceptionem nullam, quas non præcedat objectorum actio in animam, & animæ de ejusmodi objectis perceptio: quæ prima tantum est quæstionis pars: reliquas omnes omittunt. Si id ego parumper darem; quæstionem ne ego de idearum caussa, & origine, de originis & productionis modo solverem? Singula ego, ni fallor, hucusque exposui, & secundum familiares hominibus ideas explicavi, quantum reconditissimi argumenti obscuritas, & humani ingenii tenuitas patiuntur. Sed ne circa id etiam quæstionis caput judicium nostrum desideretur; sequentia adstruimus.

764. 1. *Dubium mihi est, & universis mortalibus esse debet, utrum anima semper cogitet, & aliquo modo se semper explicet, irradiet, illuminet:* in qua quidem explicatione, & radiatione perceptionum, idearum, cognitionis notionem ponimus. Propositionis veritatem superius demonstravimus, & probavimus. 2. *Illa etiam hypothesi admissa, quod non semper cogitet anima, inferri inde nequaquam potest, ante omnes ideas, & perceptiones mentis præcedere in anima sensum.* Per se ipsam res constat, quin ulteriori aliqua probatione indigeat. 3. Etsi etiam verum esse admitteretur, ante omnes ideas atque perceptiones in anima sensum semper præcedere, animæque sensus primam esse humani spiritus operationem, unde ille agendi, percipiendi, cogitandi initium ducat; perperam inde de-

deduceres, nullam in mente esse ideam, quæ sensibus non comparetur, ad sensum non subsequatur. Diversa scilicet hæc sunt: naturalium rerum lex est, ab imperfectioribus incipere; quin tamen perfectiora caussarum effecta ab imperfectioribus illis dependeant, aut ab illis originem ducant. Hic sensuum nostrorum, atque idearum casus est: si sensus animæ ideas semper præcedunt (quod demonstrare nemo umquam poterit,) non tamen a sensibus ideæ omnes originem ducunt, aut ab iis dependent.

765. 4. Magna rationalium idearum, cogitationum, radiationum pars ita in anima fiunt, ut a radiationibus sensibilibus non dependeat. Rem sane probant & radiationum natura, & illa omnia, quæ superius ad propositionem probandum adduximus. 5. Quod si ulterius facti veritatem quæras, & quæstionem ulterius proponas, ideas ne, & perceptiones universas sensus semper aut comitetur, aut præcedat? Respondeo, universalem quæstionem simplici responsione solvi fortasse non posse: quid enim? idemne est in omnibus hominibus organorum, temperamenti, cerebri, milleque aliarum circumstantiarum, & impedimentorum ratio, conditio, status? Quanta enim vero est quoad singula hæc capita inter homines diversitas?

766. Ideæ proprie dictæ sunt præsentes repræsentationes rerum, quibus objecta actu ab anima percipiuntur, in illaque repræsentantur: & hinc rei alicujus ideam tum proprie habemus, cum illam actu cognoscimus, & nobismetipsis repræsentamus. Mens humana circa datum quodcumque objectum se se multoties explicando, atque irradiando habitum quemdam, hoc est, spiritualem se se dato illo modo explicandi facilitatem adquirit. Hanc etiam facilitatem actuum multiplicitate comparatam, activam nimirum animæ energiam illo habitu confirmatam atque adjutam, eorum objectorum ideam nuncupare possmus; quo quidem in sensu rerum ideas habere dicimur, etiam tum, cum de iis nihil cogitamus: satis est, si rem semel aut iterum sibi mente repræsentasse, atque repræsentandi habitum adhuc in mente servare. Servandi ratio multiplex, & varia: atque hoc ipsum est præcipuum memoriæ caput, principium, & caussa, iis sane consonans, quæ in Physica viventium, memoriæ naturam, & proprietates exponendo, diximus.

767. Ideæ rerum in dati cujuscumque hominis mente earum repræsentationum, & facilitatum diversarum numero, & rationi proportionales existunt. Homines sunt, quorum mens & plura repræsentat objecta, & plures repræsentandi facilitates acquirit. Alios invenias, qui pauciora quidem, difficiliusque concipiunt; concipiendo tamen explicatius, clarius, distinctius, intensius mens ipsa irradiat. Circa utramque rationem infinita fere est in humana specie varietas. Rem facile per te ipsum concipies, ex dictis nullo negotio deduces; &, si nostram viventium Physicam legas, mechanicas diversitatis caussas secundum meam mentem conceptas habebis.

768. Ex data hucusque originis idearum explicatione plures aliæ intelliguntur earum affectiones. Uno vel altero exemplo rem illustrabimus. Novæ aliquando ideæ ab humana mente inveniuntur. Hæc novarum idearum inventio ut plurimum fit, cum ab una idea in aliam mens humana connexione deducitur: quod tum in mente fit, cum ob intimam animæ energiam ab una radiatione nascitur alia, quæ a priori naturali quadam affinitate consequitur. Id vero est, quod *unum ex alio cognoscere* nuncupatur. Ejusmodi animæ facultati ideas alias ex aliis deducenti geometriam, arithmeticam & similes alias scientias, & artes debemus.

769. Ea nonnumquam fit composita intellectualis luminis radiatio, ut in illa aliorum objectorum similitudo appareat, & non levis existat inter compositam illam ideam, seu radiationem, & distinctam alterius objecti ideam, seu repræsentationem similitudo. Cum hæc spirituali modo in mentis lumine fiunt; *unum in alio cognoscere* dicitur: qua quidem in re infiniti esse possunt similitudinis gradus inter se diversi.

770. Hoc sane modo secundum materialium radiationum analogiam philosophando, atque ab illa ad spiritus cogitantis lumen, atque sublimitatem argumentando, plures alias idearum affectiones, diversitatem, species facile intelligemus. Uno verbo, omnia illa, quæ in Logica non modo de ideis, verum etiam de omnibus aliis nostræ mentis actibus late prosequimur, ex posito principio intelliguntur, & explicantur. Citato in loco mentis actuum indolem distinximus, & exposuimus; ipsorum naturam, physicam ori-

originem, caussam, modum in hanc metaphysicam distulimus, & quantum per nos licet, datam fidem liberavimus.

771. Id ego tamen ante oculos semper habendum, iterumque iterumque moneo, eam humanæ menti energiam inesse, ut genio suo, atque propria activitate se se explicet, spiritualique modo irradiet. Uno verbo, in iis omnibus humanæ mentis actibus explicandis, atque statuendis ad mentis activitatem, tamquam ad physicam eorum caussam semper est deveniendum. Neque id ego de mentis solummodo actibus, sed pari etiam jure de omnibus humanæ voluntatis actionibus dictum volo. Humanam mentem nihil activa energia efficere, patientis tantum subjecti munus agere, neque secundum sanam philosophiam, neque secundum religionis veritatem sustineri posse existimo.

772. Quod si a me quæras, ut in scholis fieri solet, ad omnia ne objecta mens humana extendi possit; possibilia ne omnia, veritates, res universæ idearum nostrarum objecta esse possint: seu qualenam sit, aut esse possit humani intellectus, & nostrarum idearum objectum: Respondeo: unica responsione quæstio hæc resolvi non potest, aut objecta universa comprehendi. Ea quidem in re quatuor esse videntur veritatum, objectorum, & idearum, ordines: Primo plurimæ sunt ideæ, & radiationes, quas mens humana genio suo elicere potest. Multa similiter alia sunt, ad quorum ideas eliciendum præsentis status impedimenta removere, & conatum adhibere opus est. 2. Ad alia tamen neque solus genius, neque impedimentorum remotio sufficit; sed objectorum actio opus est. Prioris ordinis sunt universales veritates certæ, & evidentes, suimet existentia, & alia similia. Ad secundum ordinem spectant singularia quæcumque, & sensibilia objecta in præsenti saltem rerum statu. 3. Sunt objecta, cognitiones, ideæ, quibus mens humana viribus suis satis esse non potest: quantumvis omnem adhibeat conatum, & sensibilia objecta mentem excitent: sed novum alterius ordinis lumen ad mentem ipsam novo sublimiorique modo illuminandum, & elevandum requiritur. Hujusmodi sunt supernaturalia objecta, sublimes illæ, & reconditissimæ veritates, inter quas & puram humanam mentem debita proportio desideratur. Ejusmodi supernaturales ideæ, & plusquam hu-

manum lumen paucis in hoc rerum statu a Deo manifestatum futuræ felicitatis pars existet . 4. Plurima tandem sunt ad quæ intelligendum finitæ humanæ mentis lumen , energia , atque facultas extendi non possunt , nullaque omnino est inter animæ nostræ vires , atque illorum objectorum perfectionem proportio. Hujusmodi sunt omnes divinæ perfectiones : infinitatem illæ secum deferunt ; nullamque proinde habent humanæ mentes ad illa intelligendum proportionem ; infinito , atque insuperabili intervallo ab infinitate distamus. Qualecumque humanis mentibus lumen accedat ; Deus divinaque omnia nostrum intelligendi lumen infinite superant . Patet igitur , qua ratione quæstionem illam circa humanæ mentis objectum propositam solvamus . Pauca hæc tantummodo addo. 1. De humano solum intellectu impræsentiarum loquimur . 2. Omne quidem ens est intelligibile ; sed illud tantum intelligibile humanæ mentis objectum existit , quod cum finito nostro intellectu proportionem habeat . 3. Mens præterea intelligibile ita habet pro objecto , ut verum semper quærat , in verum tendat, verum sit entis cogitantis, intellectus objectum.

773. Atque hæc sunt , quæ ego pro reconditissima hac metaphysicæ quæstione explicanda post diuturuam meditationem verosimiliora , & in medium afferenda existimavi . Tam a sensuum , quam ab innatarum idearum systemate recedo ; si in vero earum opinionum sensu res accipiatur. Dum meam ego hanc sententiam expendo, enucleo, statuo; me ipsum intelligo, rem assero, quæ & idea concipitur, & analogia ab existentibus affectibus deducta probatur , & cum naturalia, tum revelata circa humanam mentem dogmata explicat, & naturali cogitandi loquendique hominum sensui obvia se se offert. Hæc omnia in idearum origine a sensibus adstruenda , in ideis innatis stabiliendis non observari , post longam frontis frictionem, & doctas unguium rasiones edoceberis .

LE-

LECTIO IV.

Humana voluntas, proprietas animæ altera.

§. I.

Actus humanæ voluntatis recensentur, atque definiuntur.

774. Mens humana non modo cogitat, sed volendi etiam actus elicit: paremque intelligendi, atque volendi facultatem habet. Altera hæc est humanæ mentis proprietas, nobile metaphysicarum veritatum caput, & uberrimum principium. *Inelligere*, & *velle*, *intellectus*, & *voluntas* duo illi sunt humanarum cognitionum, & morum cardines, quibus humana omnia innituntur. Quoniam de primo fuse hucusque disputavimus; pari etiam modo, quæ ad humanam voluntatem spectant, prosequamur. Quidnam humana voluntas, quinam illius actus, atque objectum existant: quonam præterea modo humana voluntas actus efficiat suos, libera ne, an potius necessario agat: quod si liberam statuamus, quid illam tandem indifferentiam tollit? Hæc omnia ut statuantur, necessarias definitiones præmittere oportet.

DEFINITIO.

775. *Voluntas est vis illa humanarum animarum, qua objectum amore, aut aversione prosequimur*: in illud ferimur, ab illo avertimur.

Definitam hanc in nobis esse facultatem, est veritas facti intimo conscientiæ testimonio adeo demonstrata, ut de voluntatis existentia nullum admittatur dubium. Spiritualem hujusmodi vim, & potentiam ab anima distingui, animæ ipsius simplicitas non permittit: voluntas, & intellectus eadem simplex anima existunt, quæ ex intima sua energia cogitare, & velle potest. Male tempus collocaretur, si in duobus hisce probandis aliquantulum immoraremur. Duæ igitur hujusmodi potentiæ re quidem unum idemque principium, exercitio tantum, seu actibus differunt. Eademmet anima est & cogitandi, & volendi energia: at

at alios quidem cogitando, alios vero volendo exercet actus: alio, & alio modo in objecta tendit.

776. Humanam voluntatem aliis etiam nominibus nuncupatam passim leges. Cum de eorum vocabulorum idea omnes conveniamus; tota hæc nominum diversitas nullius momenti censeri debet: loquere ut libuerit; & quæ primo mentem subierint, nominibus utamur: dummodo tamen diversos voluntatis actus, eorum objecta, modum, caussas accurate distinguamus.

DEFINITIO.

777. Humanæ voluntatis actus melius nos quidem sentimus, & intima conscientia percipimus, quam verbis explicare, & aliis tradere valeamus. Simplicissimarum idearum objecta illi sunt, & in reconditiori cogitantis animæ sinu eliciuntur, explicantur, comprehenduntur, intimo nostræ mentis, & conscientiæ lumine perfusi. Indeque est, quod eos quidem nobis scimus, aliis vero loquendo tradere numquam satis valeamus. Rem in Logica explicavimus; cum de originalibus sensuum ideis, & actionibus disseruimus. Pro linguarum tamen, & præsenti hominum commercii conditione ad duo hæc generalia capita omnes voluntatis actus reducuntur, *velle*, *nolle*, *seu amplecti*, *& rejicere*, *vel appetere & aversari*: *volitio* idcirco, atque *nolitio*, suprema duo capita sunt ad quæ omnes voluntatis actus revocantur. Conscientiam nostram inspiciendo, facile animadvertimus, mirabilem actuum varietatem, & alias species sub duobus illis generibus duplici illo nomine significari. *Desiderium*, *amor*, *complacentia*, *veleitas*, *concupiscentia*, & mille alii hujusmodi actus volitionis species existunt: quantum vero inter eos discrimen! Volitio igitur, & nolitio infinitam fere habent amplitudinem, & species: harum aliquibus nomina imposuimus; plures tamen citra peculiare vocabulum significamus, id quod, & facile experientia, & conscientia docebimur, si vel unam execrationem parumper inspiciamus. Quali enim vero, & quanta actuum diversitate diversa mala nobis proposita execramur! De singulis hisce actuum speciebus seorsim agere Ethicæ argumentum est: quæ Metaphysicæ sunt propria, & examinanda impræsentiarum assumsimus, jam indicavimus.

DE-

DEFINITIO.

778. Sicut omnia in rebus exiſtentia, & poſſibilia ſunt vera, aut falſa; ita pariter quidquid eſt, bonum, aut malum abſolute exiſtit: rurſus quemadmodum verum cogitando quærimus, illudque intellectus objectum exiſtit; ita in bonum volendo tendimus, illudque voluntatis objectum, & poſtremus volitionum terminus habetur. De veritate, quæ eſt mentis objectum, ſuperius agimus; ad ſecundum modo deſcendamus. *Bonum*, non jam pro tranſcendentali acceptum, ſed prout a voluntate reſpicitur, atque hoc loco uſurpatur, illud dicimus, quod humanæ naturæ eſt conſentaneum, illamque perficit. Bonum ita definitum in *verum*, *& apparens; in abſolutum*, *& relativum; in poſitivum*, *& negativum; perfectum*, *& imperfectum; infinitum*, *& finitum* dividitur. *Bonum verum* nuncupamus, quod bonum reapſe exiſtit; *apparens*, quod tale ſolummodo repræſentatur: primi generis eſt virtus, ſecundi generis mors. *Bonum abſolutum* dicimus, quod in ſe ſe eſt verum bonum, quin ad alia referatur; vel quod ad quodcumque referatur, bonum ſemper eſt: *relativum bonum* dicitur, quod aliis quidem, non tamen omnibus eſt bonum. Quid ſit bonum poſitivum nullus ignorat, negativum eſt privatio mali. Reliquæ boni diviſiones ſunt ex ſe manifeſtæ.

779. Potiſſima boni diviſio eſt in bonum *honeſtum*, *utile*, *& delectabile*. *Bonum honeſtum* eſt, quod rectæ rationi, ſeu naturalis rationis dictamini conforme exiſtit. Naturale illud rationis lumen nobis a Deo donatum, & animæ noſtræ veluti fundum efficiens, regula illa eſt recta, & conſtans, qua honeſtum ſtatuimus, ab inhoneſto diſcernimus: ea propter, cum honeſtas ſit moralitatis, ſeu morum principium, & elementum; naturale rationis lumen morum regula habetur. Sed hoc argumentum in Ethicam reſervemus. *Delectabile* quod delectationem parit: *utile*, quod commoditati inſervit, aut ad bonum honeſtum, & delectabile comparandum, & fruendum conducit. Omnes iſtæ triplicis boni rationes in una eademque re quandoque inveniuntur, ſæpe etiam differunt, & inter ſe opponuntur: quod inter honeſtum, & delectabile ſæpiſ-

pissime deprehenditur. Et hinc illa est in humanis actionibus inter honestum, & jucundum oppositio. Delectabile per sensus ut plurimum agit; honestum voluntatem ratione ducit: sensuum oblectamenta suaviter nos allicientia a recta ratione passim reprobantur: & hinc æterna illa inter sensus, & rationem pugna morte tantummodo dirimenda.

DEFINITIO.

780. Bono opponitur ejusdem generis *malum*: est vero *malum*, quod naturæ perfectionem impedit, aut tollit: ita sane bono a nobis modo definito directe opponitur, cujus peculiaris notio est, *perficere*. *Malum*, sicut etiam de bono diximus, in physicum, & morale dividitur: primum physico, secundum morali bono opponitur: illud igitur physicæ perfectioni nocet, destruit, impedit: postremum vero constanti morum regulæ, rectæ nimirum rationi, contrarium existit. Sæpe tamen fit, ut in una eademque actione utriusque mali ratio conveniat, ut in injusta percussione deprehenditur. Primæ huic divisioni affinis est illa apud omnes vulgatissima mali partitio in *inhonestum*, *ingratum*, *incommodum*: primum morale, posteriora duo physica sunt mala: sæpe tamen amice omnia conveniunt. *Malum inhonestum*, seu turpe est, quod rectæ rationi opponitur, ab illiusque dictamine abludit: est igitur bono honesto penitus oppositum, & malum etiam morale nuncupatur: est scilicet naturalis rationis dictamen, & lumen certa morum regula: malum ejusmodi regulæ oppositum ad mores pertinet, & jure meritomorale malum nuncupatur: alia omnia mala physica existunt. Primi generis malum est mendacium, ad secundum ægritudines spectant. *Ingratum* nuncupamus, quod aliquam doloris, aut tædii speciem secum affert. Incommoda dicuntur impedimenta bonorum, quæ scilicet impedimento sunt, ne quod appetimus, aut desideramus, obtineamns; incommoda mala dicuntur. Aliæ bonorum divisiones malo etiam suo modo conveniunt, quarum intelligentia, & obvia per se est, & explicatione non indiget.

DE-

DEFINITIO.

781. Omnis cauſſa vel eſt neceſſaria, vel libera. *Cauſſa neceſſaria eſt, quæ ita effectum producit, ut illum neque omittere, neque contrarium producere poſſit.* Exemplo tibi erit lapis in libero aere ſibi ipſi relictus, qui neque aſcendere poteſt, neque non deſcendere. Cauſſa ejuſmodi in neceſſariam intrinſecus, & extrincus neceſſariam dividitur. *Cauſſa intrinſecus neceſſaria* dicitur, quæ naturæ ſuæ neceſſitate agit: quod ſi hujuſmodi neceſſitas ab externo principio proveniat; tum vero *cauſſa extrinſecus neceſſaria* appellabitur: ſecundæ hujuſce claſſis eſt lapis ab impulſore ſurſum actus: ignis vulgaris ad corpora inflammandum adnitens prioris cauſſæ exemplum eſſe poteſt. Si agens extrinſece neceſſarium ad effectum ejus indoli oppoſitum, & ab illa non producendum adigatur; *coactum*, aut *violentum* nuncupatur. Utraque neceſſitas tam intrinſeca, quam extrinſeca poteſt eſſe *neceſſitas contrarietatis*, vel *neceſſitas contradictionis*: neceſſitas contrarietatis eſt unum e duobus contrariis agendi neceſſitas. Corpora gravia priori hac neceſſitatis ſpecie agunt, ſeu deſcendunt. Neceſſitas contradictionis eſt neceſſitas ad agendum; cum ſcilicet cauſſa, poſitis omnibus ad actionem requiſitis, non agere omnino nequit.

DEFINITIO.

782. Duplici definitæ neceſſitati duplex etiam opponitur *libertas:* quarum primam *a coactione*, ſecundam *a neceſſitate* appellamus. Agens liberum a coactione illud eſt, quod *ſecundum naturalem ſuam propenſionem, genium, inclinationem citra omnem externæ impellentis cauſſæ impulſionem agit:* agendi igitur facultas ſecundum cauſſæ indolem eſt libertas a coactione: ex ſolo cauſſæ genio agere, eſt, *libere a coactione agere:* quæ ita agunt cauſſæ, liberæ a coactione, ſeu violentia nuncupantur. Cauſſæ igitur alias neceſſariæ, quæ nimirum effectus ſuos intrinſeca naturæ ſuæ neceſſitate agunt, definita hac libertatis ſpecie poſſunt ſemper eſſe liberæ, & ſæpiſſime etiam liberæ exiſtunt: atque *ſpontaneæ* etiam dicuntur, quod ſpon-

ſponte ſua, genio, naturalique propenſione agant. Ejuſmodi ſunt omnes brutorum animantium actiones naturales, animales, & vitales; & illa etiam humana effecta, quæ nos citra rationis uſum, atque conſilium peragimus. Ex quo id facile apparet, eamdem plane actionem & liberam, & neceſſariam eſſe poſſe; ſi diverſas libertatis ſpecies intelligamus: cauſſæ ſcilicet omnes intrinſeca neceſſitate actæ ad effectus ſuos producendum, liberæ ut plurimum a coactione exiſtunt. Rem in allatis exemplis, & in omnibus ferè naturalibus cauſſis videmus. Ad hanc libertatis, & neceſſitatis ſpeciem rite intelligendum animadvertere oportet; tum ſolummodo neceſſitatem ex coactione ortam intelligi, cum externæ impellenti cauſſæ agens reſiſtere non poſſit: quæ enim externo impulſori reſiſtere quidem poteſt cauſſa, reſiſtere tamen omiſit, non coacta, ſed adjuta dici debet.

DEFINITIO.

783. Priuſquam ulteriorem libertatis notionem demus, *voluntarii* ratio habenda eſt. *Voluntarium* dicimus, quod a voluntate aliquo modo efficitur: ita ſtudium, deambulatio, amor, & quamplurimæ aliæ actiones voluntate poſitæ, *voluntariæ* nuncupantur. Duplex diſtinguitur actuum voluntatis ratio: alii ſunt actus voluntatis *eliciti*; alii vero *imperati*: primus dicitur, qui ab una voluntate, tamquam a cauſſa pendeat: ejuſmodi ſunt interni omnes actus ad voluntatem ſpectantes, amor, odium, cæteri. *Imperatos* appellamus actus, quos quidem voluntas decernit, ab aliis tamen potentiis, tamquam phyſicis cauſſis efficiendos: deambulatio, opus a me ſervo injunctum, & ab illo peractum, ſecundi ordinis actus exiſtunt. Voluntatis meæ eſt, ab ejuſque nutu pendet, quod mihi deambulationem, ſervo opus decernam: aliæ tamen cauſſæ ſunt, a mea voluntate diverſæ, quibus utraque illa actio propius tribuitur. Omnes actus liberi neceſſario ſunt voluntarii: ſed cum voluntas neceſſario agens actus voluntarios eliciat; *voluntarium* aut liberum, aut neceſſarium eſſe poteſt. *Involuntarium* generatim & abſolute illa eſt actio, quæ a voluntate non agitur; id vero eſt duplex, *poſitivum*, & *negativum*: *involuntarium poſitivum*, quod involuntarium pro-

proprie dicitur, ille est actus, qui voluntate contradicente, & repugnante efficitur: *involuntarium negativum* est actus ita peractus, ut in illum neque voluntas influat, aut consentiat, neque tamen in contrarium reluctetur: in carcerem, in triremes, in patibulum duci, ad primum: quidquid citra mentis animadversionem & voluntatem facimus, ad secundum spectat. (*)

DEFINITIO.

784. Intrinsecæ agendi necessitati intrinseca opponitur libertas, quæ etiam *libertas indifferentiæ* nuncupatur.: quid hoc nomine significemus, accurate exponere oportet. Agens libertate indifferentiæ liberum est agendi principium intelligens, & volens, quod ex natura sua ad agendum aut non agendum nulla necessitate adigitur: ex se tamen potest agere. Libertas igitur indifferentiæ est *activa eligendi, & agendi virtus*. Actionem ex hujusmodi principio prædicta ratione agenti profluentem nuncupamus *liberam:* quæ in hunc modum definiri potest, *actio voluntaria citra omnem antecedentem necessitatem profluens*. Omnia hæc ad veram intrinsecæ libertatis ideam statuendam, atque a cavillis vindicandam necessaria sunt: mirum enim est, quanam idearum varietate, & discrimine de libertate loquantur diversarum partium scriptores. Libertatis, & caussæ liberæ idea hasce in se se continet notiones *intelligere, velle, eligere, agere*. Lapidem enim vero liberum esse non dicimus; quantumvis possit ad oppositos motus ab externo impulsore adigi, ad quos ex se se indifferens existat. Liberum enim illud intelligimus, quod sit suarum actionum auctor, cui illæ tribui, atque imputari debeant. Ad id rei opus sane est, *velle:* nulla tamen sine cognitione voluntas: duo idcirco hæc ad libertatem spectant, *intelligere*, & *velle*. Satis

(*) Aliqua sæpe ita voluntate gerimus, ut nobis omnino relicti, omnique externa ratione cessante, illa amplius non ageremus: hujusmodi sunt, quæ contra genium *ex metu* facimus. Sunt hæc *voluntaria mixta*: re quidem & fundo voluntaria, sed ab opposita voluntate temperata.

tis tamen ista non sunt; agendi virtus in caussa libera requiritur. Ceram enim vero diversorum signorum capacem, atque ad omnia recipiendum indifferentem nullus hominum liberam dicit. Impressa ne sigilla ceræ ipsi tribui, atque imputari possunt?

785. Tria igitur illa ad libertatem requiruntur, *cognoscere*, *velle*, *agere*: aliquid ulterius desideratur: id vero est inter opposita *eligendi indifferentia*. Spiritum concipiamus cogitantem, volentem, agentem, seu volitionis suæ caussam; liberum adhuc non concipio: si enim per naturam suam cogitat, si ita comparatus sit, ut in cogitata bona ex natura sua feratur, quantumvis ex propria illius energia & cogitationes, & amor emanent, libertatis ideam non deprehendam. Is sane humanæ voluntatis circa bonum infinitum, atque clare cognitum casus est: voluntarium illic invenimus, liberum desideramus. Fac ut activa facultas inter cognita illa bona eligendi accedat, ut opposita examinet, inter examinata, cum ad utrumque se se possit seorsim deliberare, unum tamen præ alio eligat, amet, ponat; tum vero liberum concipio principium, nihilque amplius ad libertatis ideam desideratur. Habes, quæ nos libertatis nomine, atque notione intelligamus, atque ii omnes significent, qui secundum communem hominum sensum loquuntur.

ADNOTATIO HISTORICA.

Circa Philosophorum in re præsenti sententias.

786. Humana voluntas non modo in Metaphysica, sed in Ethica etiam, seu scientia morum, maximi momenti existit, ad utramque illam scientiam æquo jure pertinens. Metaphysicam quod attinet, de animæ fundo agitur, spiritualis substantiæ potissima nostri hominum pars in medium expendenda adducitur: ejus naturam, notionem, atque indolem ex parte quærimus. Quanti sane res sit, nullo negotio agnosces, si voluntatem mente parumper tollas: temetipsum omni volendi facultate destitutum tacitus parumper cogita: quid tum vero in ideali illa hypothesi mortales? quosnam animæ actus eliceremus? Rem ita considerando, totam humanorum actuum seriem quærimus: quales enim humanæ voluntatis infimi actus existunt? unde-

nam

nam incipit, quo tandem voluntatis provincia extenditur? Præterea in ea etiam hypothesi cogitarent ne humanæ mentes? potestne citra voluntatem cogitare spiritus? Quæstio id esse potest ferianti Metaphysico digna. Voluntatem necessario præcedit ratio, seu cogitatio; quodsi nostrarum cogitationum humanum velle necessaria existat appendix; quid tum sine voluntate essemus homines? iners tantummodo vegetabilis truncus, vix externam hominis speciem ferentes, ab eo nomine, atque notione alieni. Ea tamen est nostra hominum indoles, ut & cogitandi, & volendi facultate præditi simus. Facti veritatem extra omnem hominum disputationem positam, & universali conscientiæ argumento certam fateamur: quid tamen est velle, quid cæteri voluntatis actus? quin imo aliquid ne volendo agit humana voluntas? quid volumus? quomodo? quid voluntatem ad volendum agit?

787. Humanam voluntatem nihil plane agere, puram esse potentiam passivam, impressiones tantum recipere, atque una hac passiva impressione intimum illud nostrum velle, nolle, probare, respuere, cæterosque voluntatis actus consistere, omnemque agendi activitatem unius Dei esse, affirmavit *Malebranche*: ruinosi principii pura hæc est consequentia. Sunt & alii, quibus totum humanum velle purum est pati, ut de Helvetio superius retulimus: absit tamen, ut hosce postremos *Malebranchio*, aut Cartesianis cæteris adnumeremus; contra enim, atque postremi hice sentiunt, cogitantem humanam mentem absurdis mille ideis deturpant. Cæteri philosophantes & communi sensu, & conscientia ducti veram voluntati energiam tribuunt.

788. 2. Si quid actus voluntatis existant, a philosophis quæras; non eadem omnes reponent: reculas nescio quas, qualitatum nomine donatas ab antiquis Peripateticis audies: Animæ tantum modos in humanæ voluntatis actibus recentiores agnoscunt philosophi, analogia rerum ducti.

789. 3. Quid humanam mentem ad bonum prosequendum, aut omittendum statuit, & movet? judicium ne objecti bonitatem repræsentans? bonum ipsum mente cognitum? an voluntas potius suæmet virtutis indole? Primum a bene multis scholæ philosophis, atque theologis audies: secundum Optimismi fautorum dogma est; quorum sententiam late superius exposuimus,

mus, & cum humana libertate comparavimus. Tertium, aptissima asserendæ humanæ libertatis ratio, communior sensus est. Ita sane est; humanus animus cognitione illuminatur, & bonum sibi mente proponens, ad cognitum bonum amandum, aut omittendum se se deliberat. Pro hac parte tuenda pari ingenio, atque humanitate adversus Leibnitium disputavit Samuel Clarke. (*a*).

790. 4. Quid tamen de humanorum actuum modo? Humana libertas in disputationem adducitur. In dirimendæ litis partem non modo diversæ hominum ideæ, mens, ratio, sed ipsa potissimum voluntas, corrupti mores, futuræ vitæ spes, aut timor vocantur, & mentem inflectunt. Humanam libertatem materialistæ omnes, Spinosa, fatalistæ universim inficiantur. Quinam philosophi iis nominibus significentur, superius retulimus: eorumdem numero recensendi sunt plures nostri temporis Diistæ, ut mille passim testantur parvi libelli, leviorum ingeniorum, atque eruditionis labores, quos in lucem publicam quotidie edunt libertini: longum eorum catalogum scribere, operæ pretium non esset. Præcipuos superius recensuimus, qui Diismum, & fatalem necessitatem suo nomine adstruere non erubescunt. Bene multi etiam (*les petits maitres de la secte*) brevibus tractatibus in lucem identidem emissis errorem late hoc sæculo serpentem confirmant, fervidi Diismi Apostoli. Quod si iis addas numerosam illam illustrium libertinorum turbam, litterariæ Reipublicæ fæces, & eruditionis hypocritas, qui in circulis passim, & omnibus fere conversationibus inter pocula, & amores scientias ructant, incautas animas inficiunt, & novis semper proselytis sectam promovent; ideam tibi fluentis generationis efformasti nequaquam a vero abludentem. Contra vero humanam libertatem sani omnes tuentur.

791. Humanam libertatem negare, fatalem necessitatem adstruere, ea absurditate animos percellit, ut plurimi sint qui fugiendæ notæ caussa verbis quidem, atque speciosa oratione libertatem magnopere commendant, eamque tueri aperte profitentur, re tamen inspe-

(*a*) Lettres de Mr. *Clark* dans le Recueil, qu'on en a imprimé.

ſpecta, atque enucleatius examinata, purum putum fatalismum libertatis larva perſonatum animo intelligunt, ut honeſti homines audiant (*). Eos, vel ab ipſo quæſtionis limine, atque nominis definitione facile agnoſces. Si libertatis notionem à philoſophis, & apud diverſos auctores quæras; magnum idearum diſſidium demiraberis. Qui libertatem, potentiam faciendi, quod placuerit, definiunt; eam notionem ſtatuunt, quam omnes fataliſtæ calculis ſuis confirmabunt. Ad verum; & proprium libertatis ſenſum deveniendum eſt; ad indifferentiam; & activam inſimul eligendi energiam: ſi ad ejuſmodi definitionis ſenſum fuſius jam explicatum omnes auctorum definitiones adducamus; tum vero, quantum ii à vera libertatis notione diſtent, apparebit.

792. Illud ego nullius plane momenti rem eſſe exiſtimo, libera ne dici poſſit, atque debeat voluntas, an homini tantum; non vero voluntati ea denominatio conveniat. Secundum *Lokium* perinde ſane eſt, voluntatem dicere liberam; atque virtutem nuncupare quadratam: id nominis homini, hoc eſt; principio agenti, non voluntati; puræ ſcilicet potentiæ tantum concedit. Dummodo veram libertatem admittas; eam homini; an etiam voluntati tribuas, per me licet: communem tamen loquendi modum teneamus.

793. Huc uſque Metaphyſici Philoſophi provincia in re præſenti extenditur: libertatem adſtruere & Metaphyſicæ, & Ethicæ communia exiſtunt confinia: quæ ad ſtabilitam libertatem conſequuntur quæſtiones, univerſam morum doctrinam continentes, ad Ethicam; ſeu morum ſcientiam ſpectant; illamque componunt: Si nulla eſſet in humana ſpecie volendi; atque agendi libertas; ſi fatali neceſſitate humana etiam omnia fluerent; & alia ex aliis inevitabili mechaniſmo conſequerentur; quiſnam tum eſſet humanorum morum, virtutis & vitii, boni & mali moralis ſtatus, atque con-ſpe-

(*) Je la tiens (la liberté) & je la ſoutiens; ſi on entend par ce mot le pouvoir, qu'à l'homme de faire ce qu'il veut; ou ce qu'il lui plait. *Inquit celebris hac tempeſtate libertinus.* Recherches ſur la liberté, Preface.

ſpectus? Quid tum vero humanæ leges; quid naturæ atque gentium jura; quid præmia, atque ſupplicia pro legum obſervantia, & delictis infligenda? Quid rei crimina, ſcelera, malum morale? ſed hæc omnia, atque infinita alia ejuſdem argumenti capita ad Ethicam ſpectantia modo prætermittamus.

794. Ut propria duo capita in hac adnotatione relata expediam, nihil immorandum cenſeo. Quid noſtra hominum voluntas, quænam ejus indoles exiſtat, intima conſcientia agnoſcimus, meliuſque rem ipſam introſpicimus, quam verbis tradere valeamus. Noſtrorum enim vero voluntatis actuum indolem intuitione cognoſcimus: experimentales autem haſce, atque originales ideas hoc modo partas, bene quidem nobis, ægre aliis loquimur. Primum igitur hoc quæſtionis caput circa humanæ voluntatis notionem conſcientia noſtra demonſtrat. Voluntatem præterea noſtram ab anima non diſtingui, ſed ipſam plane eſſe animæ ſubſtantiam, manifeſta evincit ratio. Spiritus cogitantis ſimplicitas ſuperius demonſtrata omnem ab animabus humanis compoſitionem excludit. Sua hæc eſt animæ indoles, atque ſimplex energia *cogitare*, *velle*, *recordari*, *memoria* ſcilicet, *intellectus voluntas*. Rem jam ſupra de intellectu animadverſam voluntati pariter convenire, evidens per ſe exiſtit.

795. Quid vero ſint voluntatis actus, caput alterum eſt brevi annotatione expediendum. Duo hoc nomine intelligi poſſunt. 1. Quid rei ſunt noſtri illi voluntatis actus, de quorum exiſtentia conſcii adeo vivimus, ut nullam de iis dubitationem ferre poſſimus: aliquæne abſolutæ, & novæ res ii actus exiſtunt, quas anima noſtra propriomet genio, atque activitate creet: an potius animæ tantum affectiones, aut modi exiſtunt, quos quidem anima ob nativam ſuam energiam in ſe ſe efficere poſſit? 2. Quacumque tamen ratione res ſit, qualis & quid rei eſt ejuſmodi modificationum ratio, modus, explicatio, inductio? Quid rei eſt noſtrum velle, & nolle? quonam modo noſtrum hoc velle in anima gignitur, aut explicatur? Primum ex ſuperiori lectione paucis verbis expedimus. Tota creaturarum, ſeu ſecundarum cauſſarum activitas ad veram aliquam novamque rem producendam, ac ex nihilo extrahendam non extendi, ſed in modorum tantummodo productione totam impend

fecimus. Eo sane pacto ideæ nostræ, cæterique mentis actus ab animæ energia eliciuntur. Spiritualis ideas nostras producendi modus superiori lectione expositus, ad voluntatem pariter spectat. Voluntatis, sicut & rationis, actus in ipsiusmet animæ modificationibus consistunt: eadem ratione hæc omnia explicantur. Duplici potissimum modo hominum anima vim suam efficiendi exerit, cogitando, & volendo: primum quidem, nativum suum lumen explicando, se se, & objecta illuminando; secundum vero in illuminata objecta se se convertendo, aut ab iis se se avertendo agit. Si primum; ita & secundum sola activa se se modificandi energia peragitur. Unum hoc ex iis deducimus; humanæ voluntatis actus esse spirituales tantum cogitantis, & se se illuminantis animæ affectiones: Physicam earum affectionum productionem, quod erat secundum, uberius statim disputabo.

§. III.

Humanæ appetendi, volendique facultatis; ejusque actuum analysis, indoles, ordo statuitur, & physice adumbratur.

796. Non melius ego in humanæ voluntatis, ejusque actuum cognitionem pervenire posse existimo, quam si humanæ appetitionis, ejusque actuum analysim instituam. Humani spiritus indolem rimando, duplicem in illo virtutem intima conscientia deprehendo, *percipere*, & *appetere*. Duplex hæc virtus duo actuum ordines sibi semper respondentes constituit: seu potius simplex ille spiritus, potissima mei ipsis pars, ejus est indolis, ut in objecta duplici potissimum modo feratur, quos *percipere*, & *appetere* nuncupamus. Quidquid inter primum imprefectissimum sensum, & clarissimam mentis evidentiam intercedit, *percipere* est, ad percipiendi facultatem pertinet: multiplexque actuum species; & latissima inter actus ipsos diversitas primo hoc ordine existunt. Ab infima materialium rerum appetitione, quæ terrena tantum sapit, ad purissimum usque & spirituale *velle* & amorem posterior facultas extenditur, quidquid inter hosce terminos est, comprehendit, & infinitam etiam actuum diversitatem atque multitudinem secunda hæc animæ facultas elicit,

797. Prima animæ facultas sensum, & cogitationem; secunda *appetere*, & *velle*, seu appetitum sensuum, & appetitum rationis complectuntur: sibi hæc mutuo respondent. Perceptionem per sensus habitam, quam generali nomine sensum dicimus, appetitus sensibilis subsequitur: cogitationi purum velle respondet, eamque semper comitatur: nullusque est in una serie actus, cui alius in alia non respondeat necessarius, aut liber. Quotiescumque mens humana sentit, aliquem appetitionis actum circa perceptum objectum elicit; physica aliqua in anima gignitur delectatio, aversio, amplexio, aut alius ex innumeris aliis actibus, quos generali sensibilis appetitionis vocabulo significamus (propria enim nomina, quibus intimi nostri sensus designentur, in universis linguis desiderantur). Similiter quemcumque rationis actum mens eliciat, quodcumque objectum cogitet; aliquis etiam subsequitur, aut subsequi potest in voluntate actus. Physicum, atque mechanicum humani corporis statum externorum objectorum actiones, & præsentem humanarum animarum conditionem hæc omnia ponunt, & consequuntur, Rem evolvamus.

798. Ante omnem animæ sensum, atque appetitionem physicus corporis mechanismus & vires agunt, naturales motus in corpore peraguntur, sanguis circulatur, secretiones fiunt, fluida functiones suas exercent, elateria explicantur, externa etiam objecta multiplici ratione in corporis ipsius partes, in fluida & solida, in cerebrum, cor, nervos, musculos agunt, illa mechanicis viribus ad se impellunt, aut repellunt, explicant, contrahunt. Ex harum caussarum & intimi mechanismi beneficio nutritio, circulatio, & quamplurimi etiam motus citra animæ cognitionem, sed solis mechanicis viribus exercentur. Aliqua ergo sunt objecta, quibus trahimur: ab aliis vero repellimur, pro varia spirituum, fluidorum, aliorumque corporum, & earum, quibus componuntur, particularum figura, subtilitate, densitate, actione, mixtione, & intensitate. Alia quidem in sanguinem, alia in bilem, melancholiam, cæteros humores agunt, hæc quidem accelerant, alia retardant. Iis quidem corporum circumstantium in nos actionibus tremimus, ad saltum excitamur, rapimur. Sunt, quibus prope nos agentibus, torpescimus, sedamur, contristamur, in lacrimas

ru-

solvuntur. Alia quidem in corpotissimum agunt, cujus fibris consonant: cerebrum alia excitant, cæteris partibus parcunt, aut non nisi levissime excitant. Infinita vero est in hisce omnibus caussarum actionibus, viribus, intensitate, & modo varietas. Hæc quidem omnia sæpissime in humano corpore sine ullo sensu, aut appetitione peragi, & sensus atque appetitiones præcedere, nullus dubitat, qui physicam non ignoret, & illa legat, quæ nos viventium Physicam, sonum, vim electricam, magneticam, & alia argumenta explicando disputavimus. Actiones, vires, & phænomena soni, tarantulæ, fermentationum, quæ in hominibus omnium sensuum expertibus, somnambulis, delirantibus, furiosis, quantumvis invitis, animadvertimus, & mille hujusmodi alia nullum de hisce dubitandi locum permittunt. Rursus cum hæc sensum omnem præcedunt, sunt effectus, & phænomena pure mechanica; neque sensus, neque appetitio, aut passiones animæ ista existunt. Sensus tamen appetitiones, & passiones excitant, physica illa caussa existunt, eosque animæ actus, & habitudines, cum postea fiunt, comitantur, atque ex parte efficiunt.

799. Post hæc mechanica elicitur in anima sensus; qui sane ab externorum objectorum actione, corporis humani temperamento, mechanismo, & statu ex parte pendet, ut in Physica probavimus. Sensum vero comitatur, aut subsequitur semper appetitus. Rem enim percipi, quin objectum in nos agat, atque anima sensum illum approbet, aut rejiciat, possibile non apparet: hæc enim animæ libertatem præcedunt; nulla hic indifferentia deprehenditur.

800. In sensu duo semper interveniunt: externi objecti, atque humani corporis actio, & actus mentis percipientis a materiali illa actione pendens. Primum quidem totum est mechanicum; secundum vero est obscura mentis radiatio ab impressione dependens. In appetitu similiter duo item meditando invenimus; mechanismum scilicet partium humani corporis superius indicatum, & peculiarem illum animæ actum, quem generali quidem nomine *appetitionem*, peculiaribus vero *gaudii*, *lætitiæ*, *tristitiæ*, *aversionis*, *conversionis*, *horroris*, aliisque vocabulis significamus.

801. Duo hæc, materialis scilicet in corpore mechanismus, vires, actio, effectus, & animæ actus me-

chanismo respondens ad majorem, & majorem intensionem in utroque casu gradatim crescunt, & n tenduntur, atque per eosdem pariter gradus decrescunt, remittuntur. Circa mechanicas vires, & objectorum in corpus nostrum actiones facile hæc intensio concipitur: quod vero mentem attinet, rei ideam tibi comparabis, si superiorem lectionem mediteris.

802. Si te ipsum inspicias, & mente a terrenis hisce omnibus distracta contempleris; quæ hucusque dixi, ipse etiam confirmabis. Ex iis vero sequentia profluunt. I. Duplex hæc actuum series in animato tantum corpore fiunt: a duplici scilicet fonte hæc omnia derivantur, mechanicis nimirum impressionibus in organico nostro corpore factis, & innata animæ in corpore hospitantis virtute. Corpus sine anima quidquid est mechanici in sensu, & appetitu peragere potest; omnis tamen sensus, & appetitus est incapax. Anima a corpore separata, nihil jam ope corporis, nihil mediis corporeis organis efficietur. Cogitabit illa quidem, aliosque actus alia, & alia ratione eliciet, de quibus claram non habemus ideam: *sentire* tamen, & *appetere* viventis, ex anima, & corpore constantis; privilegium est.

803. II. Intensioni actionis in corpore nostro impressæ actus etiam ab anima eliciti respondet intensio, si cætera sunt paria. Intensiorem atræ bilis commotionem, & in delicatis fibris morsum vividior in animo rabiei sensus, & a præsente illa morsus caussa aversio consequitur. Prima intensio ex duobus capitibus variatur, augetur, diminuitur, ex objectorum scilicet actione, seu viribus, & ex recipientis corporis, seu organi temperamento, textura, atque præsenti statu. Facilius enim vero atque profundius in subtilioribus, & delicatioribus organis, quam in durioribus, & callosis partibus vis eadem imprimitur, maioremque edit effectum. Ad majorem hanc effectus intensionem, major etiam atque vividior actus intensio in anima consequitur: ad profundiorem ictum, & in delicatiori parte impressionem vividior in anima affectio explicatur.

804. III. Jam sensus, quam appetitus sunt in ratione composita ex intensione actionis mechanicæ, & ex intensione, seu vivacitate actus. Hinc vero tota huma-

humanarum passionum varietas non modo in diversis hominibus, sed in uno etiam eodemque homine originem ducit, atque explicatur. Quænam in tanta hominum multitudine passionum, affectuum, sensuum diversitas? quin immo in eodem sæpissime homine pro temporum, atque objectorum diversitate, & vicissitudine aliæ aliis succedunt passiones, appetitus, sensuum discrimina. Totius rei caussam in allatis principiis, eorumque varietate, & combinatione multiplici deprehendes.

805. IV. Neque in sensu, neque in puro hoc sensibili appetitu hucusque explicatis ulla est libertas. Quod sentiamus, necessaria est ex objectorum actione, animæ indole, atque præsenti unionis statu consequentia: pari vero necessitate ex sensu nascitur in anima delectatio, aut aversio, atque ex objectorum in nos impressione consequitur sensus. Hæc est physicæ unionis, & commercii consequentia. Libertas ad nobiliorem alium agendi modum, qui primum hunc subsequitur, omnino pertinet. Humanæ igitur passiones nos mechanice movent; & si alius non esset in nobis agendi modus, alia animum inflectendi ratio; unusquisque hominum vehementiori, qua alliceretur, aut traheretur, passioni necessario morem gereret: atque hic brutorum animalium casus est: sensuum semper actionibus ducta eo necessitate feruntur, unde vehementius trahit objectum. Iis assimilaretur etiam homines; nisi mechanicis hisce actionibus, & sensibilibus animæ actibus aliud in mente lumen, clariores radiationes succederent, quibus materiali objectorum actioni resistere possumus.

806. V. Clarescens sensus fit cogitatio, vel saltem a sensu paulatim clarescente ad cogitationem devenimus: ab imperfectioribus ad perfectiora: obscurioribus in mente scintillationibus clarior succedit lux: quæ alio modo a mente explicatur, explicata vero alio modo animum movet. Anima, quæ sensibilem perceptionem non nisi excitata elicit, post hujusmodi perceptiones ex suomet fundo circa sensuum etiam objecta sese illuminat, explicat, irradiat, atque irradiando, & illuminando afficitur: hoc est, eadem illa objecta, actiones, modos, pluraque alia ex se cogitat, activa nativi luminis explicatione videt. Prioribus illis crepusculis, &, si mavis, atque ita loqui fas est, sub-

subobscuro, ardori pura lux, atque splendor paulatim succedit, nitidiori ex fonte, aut puriori saltem modo emanans. Duplex igitur est in mente lumen percipiendi; sensuum primum, cogitationis aliud. Forsitan prius in præsenti statu secundum semper comitatur: sed cum infinitos fere intensionis, atque claritatis gradus utrumque habeat; magno sane graduum discrimine agunt. Est, cum solo sensu ducimur: sola forsan ratio, & purum mentis spirituale lumen nos aliquando illuminat, quin aliquid interea a sensu patiamur, aut alliciamur: simul ut plurimum utrumque agit. Multoties etiam fit, ut licet utroque simul modo percipiamus, præ magno tamen intensionis discrimine, uno tantum agamus, nihil aliud mentem divertat. Te ipsum, quæso, expende, tuummet & sentire, & cogitare penitius cogita: aliud nisi fallor, de hisce humanæ mentis latebris non pronuntiabis.

807. VI. Quod de prima illa actuum mentis nostræ classe observatio atque instituta analysis nos docet, de secunda etiam animæ facultate, alioque actuum ordine edisciimus. Sicut clarescens sensus cogitatio tandem evadit; ita animæ appetitiones sensim & sensim clarescentes in perfectiores alios animæ actus deveniunt, qui cogitationibus respondent, & volitiones existunt. Post sensum, aut una etiam cum sensu ea in anima affectio emanat, quam appetitionem nuncupamus: sensu gradatim clarescente & in cogitationes sensim degenerante, etiam clarescit, & explicatur illa alia animæ affectio, qua objectum volumus, aut nolumus, & in puras tandem volitiones, & nolitiones devenimus.

808. VII. Sensus ex machanica actione, atque ex spirituali animæ efficacia pendens, animam ad appetitionem, ad actum scilicet ex mechanismo etiam, & simili alia animæ virtute profluentem movet. Clarescentis sensus pars mechanica sensim languescit, minor semper & minor evadit, quoad spirituale cogitationis lumen adeo prævaleat, & hebescentis Mechanismi sensum vivacitate sua adeo obscuret, vi puro tum demum rationis, seu cogitationis lumine mens agat. Interim tamen secundum eos omnes mechanismi, clarioris & clarioris rationis gradus animam semper ad objectum actibus similibus prosequendum, aut rejiciendum movet. Anima igitur mechanismo, & per-

perceptione sentiens ad appetitionem utroque ex capite flectitur: anima solo cogitationis lumine irradians, se se explicans, & afficiens, se ipsam non mechanica amplius actione, sed spirituali tantum radiatione illuminat, illuminando movet.

809. Ex hac animæ nostræ actuum analysi plurima consequuntur usu ipso probata, & analysim eandem confirmantia. I. Solo interdum mechanismo sine sensu, sine appetitione agimus, seu potius agimur: sola nonnumquam cogitatione percipimus: utroque ut plurimum modo in præsenti vita agimus, percipimus, vivimus. Primum in iis visitur, quæ dormientes, mentis & sensus impotes agimus, aut in nobis interea aguntur. Somnambuli hominis motus, ægrotus mentis impotens, tarantula morsus solo mechanismo saltat, nutritur, respirat, membra contorquet. Eo etiam spectat quidquid inconsiderate, menteque alio penitus distracta agimus. Secundum in pura mentis contemplatione locum habet. Nemo hominum est, cujus mens eo aliquando non devenerit, ut a rebus circa se positis penitus abstracta, nihilque plane animadvertens, in idea quadam contemplanda, & enucleanda non inhæreat. Tertium omnium fere humanarum actionum proprium est.

810. II. Appetitionis actus, inferiores aut sublimiores sint, alios alterius seriei actus sensus aut cogitationes sibi in altera mentis actuum serie respondentes semper ponunt: Sensibilis scilicet appetitio (delectatio, aut aversio) sensibilem perceptionem, seu sensum; volitiones vero cogitationem: sensum appetitio, hoc est, complacens, aut displicens perceptio; cogitationem voluntas sequitur. Si rem spiritualem sensus nostros fugientem materiali rudique exemplo imperfectissime adumbrare licet: mechanicam magnetum attractionem, & repulsionem in memoriam vocemus. In quiescentem magnetem vis attrahens ferri agat: ad hujusce virtutis veluti ictum motus illico, tremor, conversio, attractio, fuga consequitur. Materialis ille ictus spiritualem animæ sensum *minime mechanicum* refert; cætera primum illum ictum consequentia diversos appetitionum actus ex sensu derivatos aliqua ratione adumbrant. Hoc tamen comparandæ ideæ, & juvandæ mentis gratia dictum sit; alias enim quantum percipientis spiritus actus a mecha-

chanicis hisce rebus distent; satis hucusque exposuimus.

811. II. Excitationes, aut vires appetitionum; atque volitionum sunt in ratione perceptionum, ex quibus pendent, & fluunt. Quamdiu solo mechanismo agimur; quamdiu etiam mechanica principia prævalent; necessarii plane sunt motus omnes, atque appetitiones ab huiusmodi principiis elicitæ: omnes igitur appetitiones humanæ, sensu tantummodo effluentes, omnia a physico passionum principio mechanico; & tumultu emanantia, omnia, quæ spirituale cogitationis lumen, mentis cognitionem, seu advertentiam præcedunt, necessitate fiunt, necessaria existunt, neque hominibus vitio verti possunt. Cum vero, aut sola ratione, seu cogitantis mentis lumine animus noster flectitur; mechanismus vero aut omnino deest; aut impediri a clariori lumine potest; tum vero principium ex genere suo necessarium non adest; omnisque actio voluntatis a cogitanti hoc principio emanans; aut producta non probatur amplius necessaria, sed libere a cogitanti principio esse poterit. Quæstionem hic ego fusius statim discutiendam tantum attingo, illudque tantummodo noto, postea probaturus, humanam libertatem ex data hucusque humanæ voluntatis analysi fluere, quod non leviter analysim eamdem confirmat. Ex *genere suo*, dixi, ut illud etiam innuerem, quod verissimum est, id tandem esse posse spirituale cogitationis lumen, & vividum adeo in mente splendorem, ut intelligendi vis ad volendum etiam animum trahat; unaque ex altera necessario consequatur affectio. Atque hic sane Beatorum, Deum clare cognoscentium, humanæ animæ a corpore separatæ casus existit.

812. IV. Et hinc jam quid, & qui voluntatis actus existant, omnino patet: quam quidem nobis tertio loco proposuimus solvendam quæstionem, Quid rei sint humanæ appetentis voluntatis actus, appetitiones, aut volitiones, satis ex iis statuitur, atque intelligitur, quæ de mentis actibus differentes stabilivimus. Eadem plane est animæ intelligentis, atque volentis efficacia. Novas ego qualitates absolutas, novas reculas non agnosco. Nullus est, qui earum rerum ideam habeat, aut existentiam probet; meras animæ affectiones in hisce omnibus agnosco. Iis ego affe-

affectionibus, atque modificationibus omnes mentis actus, & humanas rerum omnium ideas exposui, statui, & quantum mea patitur tenuitas, intelligere existimo: modorum enim vero plena sunt omnia: rem existentem fateamur. Si hæc in rebus materialibus; cur, amabo, in spiritualibus etiam non admittentur? sed rem toties probatam hoc loco missam faciamus.

813. Qui vero ejusdem humanæ facultatis actus existant, non facile alii aliis dixerimus. Idearum copia hic maxime fruimur, nominum penuria laboramus. Maximæ voluntatis humanæ actuum parti nomina hactenus non imposuimus: generalibus volitionum, nolitionum, amoris, odii, paucisque aliis nominibus, non nisi actuum genera significantibus, contenti: quod ad humanum commercium utcumque sufficit, lexica nostra parum hac in parte obruimus. Si rem ipsam distinctius, & singillatim tibi ipsi intelligere velis; animum tuum inspice, & quænam ab anima tua in uno eodemque aversionis v. g. ordine actuum varietas, atque species eliciantur, non parum demiraberis. Generatim animadvertimus, humanæ appetentis facultatis actus ex eorum modis, atque caussis inter se potissimum discriminari. Sed clarius hæc omnia ex statim dicendis intelligentur.

PROPOSITIO XXIII.

814. *Triplex illud bonum superius recensitum, honestum, utile, delectabile, proprium est appetentis, atque volentis animæ objectum: nonnisi tamen sensu, aut cogitatione perceptum agere in animam potest.*

Propositio duas habet partes, quarum utramque purum esse potest postulatum, aut ex superioribus manifestum corollarium deduci. Utramque sane conscientia, humani appetitus, atque voluntatis indoles intimo sensu nota, & instituta hucusque nostrorum actuum analysis ad evidentiam usque demonstrat. *Verum*, & *Bonum* in rebus quærimus; una hæc est omnium humanarum actionum, cogitationum, & actuum summa, thema atque scopus: eo semper tendimus, id unum quærimus. Verum quidem mente & sensu, bonum voluntate & appetitione comparamus. Purum honestum volumus, purum delectabile appetimus,

mus, utile utraque ratione quærimus. Sunt scilicet objecta, & actiones; quæ & honestæ sunt, & delectationem afferunt etiam sensibilem: hæc vero & volitionis, & appetitionis objectum esse possunt. Honestum cum delectabili multoties in eodem objecto conjungitur; sæpissime etiam opponuntur: Quomodocumque hæc accidant, rem enim sequenti propositione exponemus, honestum propius ad voluntatem spectat; ad appetitum delectabile, seu sensibile, bonum vero utile ad utrumque. Hoc ego non ita statuo quasi bonum honestum; & pura ipsa honestas suam etiam non habeat, & secum ferat delectationem: delectat enim vero etiam honestum; sed altioris ordinis hæc honestas existit: pura cogitatione; & spirituali modo agit: contra vero delectabile illud; quod appetitionum magis proprium nuncupamus; sensibili ratione animam percellit:

815. Secunda propositionis pars eodem etiam modo; & pari evidentia constat: nostramet appetentium, & volentium conscientia, animæ nostræ actuum analysis rem conficit: Et quidem res penitus ignota idem est atque caussa non præsens; ab anima nostra penitus absens: Appetere; & velle effectus mentis sunt; atque in mente positi; a caussa autem non præsenti nihil effectus ponitur: quamdiu igitur objecta menti animæque non fiant cogitatione, aut sensu præsentia; in volitionem, & appetitionem agere nequeunt: Ea vero actione penitus deficiente; nullus illorum actuum in nobis consequitur. Sed in re alioquin certa ulterius confirmanda non immoremur.

COROLLARIUM.

816. Ex probata modo propositione, atque ex superiori nostrorum actuum analysi plura consequutur intimo conscientiæ testimonio confirmata. Quoniam duplex, aut triplex illud bonum *honestum*, & *jucundum* duplicem in nobis agendi modum, atque principium; & plures actuum species efficit; & in eodem sæpe objecto conveniunt; sæpe etiam in objectis opponuntur, sequitur inde *Primum: circa unum idemque objectum contrarios sæpe actus elicimus, & ad eliciendum agimur.* Plura sunt, quæ sensus quidem grate alliciunt, in quibus probandis, amplectendis, efficien-

ciendis, aut expendendis inhonesti aliquid, & naturali rationi oppositum rationis lumen se se explicans ostendit. Rem sæpe in iræ aliarumque passionum objectis experimur: duplici lumine, & affectione mens agitur, & objectum percipit; sensibili uno, rationali alio. Ex duplici perceptione duplex etiam consequitur, diversi tamen ordinis, appetitio: prior quidem obscurior, sæpe tamen vividior ex mechanismo profluens ad objectum nos mechanice trahit; dum interim alia cogitationis irradiatio, ut plurimum quidem clarior, sæpe tamen remissior animam ab objecto retrahit. Atque hæc illa est molesta æque, atque continua inter rationem, & appetitum, inter mentis dictamen, atque sensuum oblectamenta, ac concupiscentiam lucta, primitivæ culpæ reliquiæ, & individuus humanarum actionum comes, quem a primo rationis lumine ad sepulcrum usque sustinemus. Rem luculenter probat exposita analysis, probat & conscientia: rei modum analysis ipsa exponit. Sentientis, & cogitantis duo sunt lumina; duplex perceptio, atque actio: primum potiori sui parte mechanicum: ex quo mechanismo ob naturalem commercii legem, & præsentis status conditionem anima ad actum eliciendum veluti trahitur: dum superiori alio lumine se se explicatis anima a mechanismo illo retrahitur, in oppositum adnititur; (*) lumine potius rationis, quam actione et sensu agit.

817. Cum ad hunc casum atque circumstantias devenimus, quod in præsenti statu sæpissime accidit, in partem sensus fere semper trahimur humani: quin tamen id asserendæ statim libertati officiat. Asserti ratio est illud supra jam indicatum principium: vires sensus, & appetitionis sunt in ratione activitatis actionis mechanicæ, cæteris paribus: vires autem cogitationis sunt in ratione intensionis, & claritatis luminis, cæteris paribus. De naturæ ordine, atque viribus tantum loquor; supernaturalis gratiæ vires, quæ sane altioris ordinis existunt, hic non attingo. *Secundo:* cum principium illud statuo, vires tantum volun-

tatem

(*) Præter duo hæc aliud est supernaturale lumen, pura Dei gratia, & altioris ordinis donum, de quo modo non loquimur.

tum allicientes, trahentes aut retrahentes intelligo; naturalem animæ virtutem, quæ allicientibus, & trahentibus viribus resistere potest, non definio. Præterea etiam mechanica sensuum, atque appetitionum actio cum spirituali cogitantis, & volentis animæ lumine comparari non potest: adeo hæc inter se distant, diversi adeo ordinis existunt, ut nullam secum mutuo proportionem habeant.

818. II. Ex hac diversorum hominum, virium, & inclinationum oppositione, & proportione sæpissime in hominibus fit, ut sensus seu appetitio rationem, ratio appetitionem offuscet, & obruat: sensu multoties ducamur, quin rationis usus, & lumen clarum & liberum relinquatur. Ex adverso etiam rationis claritas ita nos aliquando obducit, ut sensus omnes, atque appetitiones non animadvertamus, neque sentiamus. Primum in vehementi passionum humanarum tumultu, hoc est, vehementi objectorum in nos actione, cujuscumque generis illæ passiones sint, ut plurimum accidit: secundum naturalis extasis dici potest species, magis vel minus clara, intensa, remissa, aut obscura; infiniti enim hujusce abstractionis, & veluti elevationis mentis possunt esse gradus intra naturæ ordinem: supernaturales enim extases hic ego non intelligo, neque in quæstionem voco. Eo passionum tumultu citra rationis usum, & regulas agimus, & ducimur. Atque ejusmodi actus ii sunt, quos *primo primos* communi usu nuncupamus: quos scilicet in passionum tumultu rationem obruente anima nostra, quasi abortivos partus producit, sentientis potius mechanismi, quam cogitantis animæ opus. (*)

819. III. Cum unum idemque objectum & appetitione, & voluntate prosequimur, actumque utroque illo modo elicimus; tum vero actus intensio duplici ex fonte emanans, longe magis augetur. Da hominem, quem sapientiæ, & scientiarum amor vehementer alliciat: quidnam vero est, si virtutem excipias, eo argumento honestius? Quonam animi ardore in libros & appetitione, & ratione allicientes non incumbit? Is vero casus est, quo ad aggressum opus conficiendum omnes

(*) In iis scilicet actibus cogitat etiam anima, ab alio tamen intensiori lumine obscuratur.

omnes nervos intendit anima: in rem, & ſcopum utroque lumine collineamus, & duplici ratione flectimur. Actus igitur intenſio in hoc caſu ex triplici fonte pendet, augetur aut minuitur, mechanicæ actionis intenſione, ſenſibilis perceptionis animæ, & ſublimioris etiam illius luminis claritate, qua animus ratione flectitur. Ejuſdem rationis non ſunt diverſa hæc noſtrorum actuum principia, vires, atque momenta; neque eorum efficaciæ ſatis inter ſe ſe comparari poſſunt.

PROPOSITIO XXIV.

820. *Bonum, & malum ita ſunt humanarum omnium appetitionum atque voluntatis objectum, ut neque bonum in ratione boni averſari, neque malum in ratione mali amare, aut proſequi humana voluntas poſſit.*

Propoſitio purum eſſe poteſt præcedentis doctrinæ corollarium: eam tamen propoſitionis nomine deduximus; propterea quod ita communis ferat uſus, & nonnulla in contrarium opponantur aliquam difficultatis ſpeciem referentia. Aſſertam propoſitionem primo evincit intima æque, atque clara uniuſcujuſque noſtrum conſcientia. Tuummet velle, & cæteros voluntatis actus diligenter expende: non objectum tantummodo in ſe ſe ſpectatum, ſed objecti circumſtantias, atque relationes, ultimam tui amoris, aut odii rationem, & *motivum*, ut dicitur, ſcrupuloſa analyſi examina: hoc unum ſemper facto periculo deprehendes, tete ſemper, amando, bonum quærere, odio malum ſemper proſequi. Quis enim vero eſt qui malum purum ſine ulla omnino ratione boni deſiderare, bonum vero purum abſque mixtura mali averſari ſe poſſe jactitet? At, quæ noſtra hominum eſt præſentis ſtatus conditio, mala ſæpe amamus, bona paſſim averſamur, aut malis poſtferimus. Id tamen ad rem præſentem non facit: aliud ſcilicet eſt rem aliunde malam, aliud vero malum, ut malum eſt, amare. Primum eſt humanarum rerum, præſentiſque ſtatus conditio: nullum eſt phyſicum malum, quod etiam non ſit aliqua ratione bonum: phyſica, & humana omnia moleſti, utilis, & jucundi quamdam in ſeſe mixtionem continent: re-

relativa hæc omnia existunt, quod est in quibusdam circumstantiis molestum, inutile, turpe, mutata eorum facie ad alios fines utile; jucundum, necessarium fit: vicissim hæc omnia mutantur.

821. 2. Malum in ratione mali a voluntate amari, idem plane esset, atque animam attractione ipsa retrahi, rem sui approbatione reprobari: quod ex se impossibile apparet. Sed secunda hæc ratio clarior adhuc ex sequenti argumento evadet. 3. Voluntatem ponamus, quam bonum purum alliciat: nihil mali in ejusmodi bono appareat. Si in hac rerum constitutione, quæ quæstionis casus exissit, bonum illud aversari posset voluntas; effectus esset cujus nulla esset ratio sufficiens; dum interim alius, ad quem ratio sufficiens existit, omnino deesset; quænam scilicet est, amabo, aversionis ratio sufficiens? neque enim sola voluntas, dum nulla adest ratio movens, actum elicere potest: & in casu præsenti sola adest voluntas, & ratio ad amorem alliciens: da ergo rationem sufficientem odii.

822. Contra propositionem, de qua nullum potest esse dubium, sequentia nullius momenti opponuntur: Anima humana, ut statim adstruetur, est libera ad bonum, & malum amandum vel non amandum: liber autem ad malum e. g. esse nequit, qui malum amare non potest. 2. E duobus inæqualibus bonis potest anima sibi eligere minus, majus autem minori oppositum relinquere; at minus bonum relatum ad majus est malum, maxime si illius sit impedimentum. 3. Qui ex malitia peccat, malum cognitum, ut malum, amplectitur, & bono opposito præfert: hoc enim caput est, quo a peccante ex ignorantia distinguitur. 4. Id communiter admittimus, & statuimus omnes, animas scilicet æternis ærumnis damnatas se, se in nihilum redigi desiderare; quid vero est rei cujuslibet in nihilum redactio, nisi purum malum? 5. Da enim vero malum; aut bonum purum, vel illud sola mente concipias, vel in rebus etiam statuas: humana voluntas in præsenti providentia ad bonum illud amandum, aut non amandum, ad malum illud odio habendum, aut non habendum libera existit: purum autem bonum non amare, purum item malum odio non habere, utrumque est purum malum.

823. Resp. *Ad primum*: Nullus hominum liber est ad bonum sub ratione boni, seu ut bonum est, odio ha-

habendum; neque ad malum sub ratione mali amore prosequendum: tum enim vero amor, aut odium esset sine ratione sufficienti amoris, aut odii. Mala quæcumque mihi proferas, admixtam illa secum habent aliquam rationem boni. Nullum in rebus est purum malum physicum: peccatum etiam morale, quod purum est malum secundum honestatis rationem, ejusmodi sane non est; si utile & jucundum spectemus. Eatenus ergo mala amamus; & ad amandum liberi existimus; quatenus ipsa etiam sunt alio ex capite bona: ad purum malum amandum, quod neque re, neque existimatione appareat bonum; nulla est, aut esse potest in homine libertas. *Ad secundum*: E duobus bonis minus quandoque a voluntate, seu homine eligi admittimus; cum id tamen agimus, minus bonum ut absolute bonum prosequimur: in eo casu, quem fuse superius contra optimistas expendimus, vera, & absoluta rei bonitas amoris nostri ratio sufficiens existit: electio vero tota a libertate pendet. Uno verbo, minus bonum prosequendo, verum bonum prosequimur: fac ut illud tandem in purum malum converteretur; tum vero amari, atque eligi amplius a voluntate non posset: quam igitur habet cum majori bono oppositionem, impedimentum, & quodcumque in se habeat malum, amore non prosequimur.

824. *Ad tertium*: Malum amare cognitum, ut malum, & amare malum, quia malum in se existit, duo esse inter se penitus diversa, in dubium nemo vertet. Primus amat malum cognitum, quin malitia, aut ejus cognitio ad amorem moveat, aut amandi ratio existat: amat bonum, in quo tamen malitiam aliunde clare animadvertit, ex qua ad amandum non movetur: illud enim amare pergeret, immo & ardentius amaret, si ab illo malitia omnis abesset. Ad secundum amorem pura malitia flecteret; illaque una ratio sufficiens amandi esset, qua deficiente, omnis etiam deficeret amor. Primum illud est peccare ex malitia: secundum vero purum malum amare. Ille igitur peccat ex malitia, qui malum, quod aliunde malum esse cognoscit, ut rem sibi gratam amplectitur.

825. *Ad IV*. Animæ æternis tormentis damnatæ in nihilum redigi, ut tantorum malorum lenimen, non ut puram destructionem, purum malum desiderant: est dicere, ab æternis illis tormentis lenimen quacumque ra-

ratione obtineatur, est bonum desiderabile: illa una est in infelicissimo illo statu votorum summa. Illud animabus proponatur levamen, quin in nihilum redigi opus sit; hanc sane levaminis rationem alteri longe præferrent: in illa ergo sui destructione bonum tantummodo amant, purum malum non prosequuntur.

826. *Ad V.* Quod ultimò loco opponitur, in primum fere recidit. Si bonum omni ex parte, atque ratione purum in rebus ponas, aut mente concipias; quamcumque in te libertatem adstruas, illud aversari numquam potest humana voluntas: effectum enim sine ratione sufficienti, contra humanæ mentis indolem intima nobis conscientia notam elicitum admittere; humanum animum, ipsamet attractione retrahi, hæc, inquam, illa sunt, quæ & in casu illo existerent, & evidenti humanæ rationi opponuntur. In adducta igitur hypothesi circa purum illud bonum sola contradictionis libertas ad amandum, vel non amandum esset: illa vero alia ad amandum, vel odio habendum ne concipi quidem ea in hypothesi posset. Quin immo prima etiam illa libertas eatenus tantum existere posset, quatenus Boni natura, & repræsentationis modus permitterent: Bonum enim infinitum, & vivissima, atque clarissima boni cognitio libertatem tollere possunt. Sed de his fusius modo disseremus.

827. Est tamen Deus, inquis, purissimum, immo & infinitum bonum, cujuscumque admixtionis mali per naturam suam incapax: qui tamen peccat, contra Dei, aut humanas etiam leges agendo, Deum ipsum odio habet, a Deo in creaturam convertitur, illamque Deo ipsi præfert: aliquid ne mali sibi in Deo mente concipit animus peccans? Si Deum ergo summe bonum esse non inficiatur, ab illo tamen avertitur; bonum odio habet. Respondeo. Actuum peccantis hominis analysis, atque distinctio rem totam explicabit, & argumentum solvet. Triplex jam distinximus bonum *honestum*, *delectabile*, *utile*: triplex item oppositum malum. Triplex illud bonum in uno eodemque objecto non semper insimul conveniunt: in rebus finitis bona plerumque sunt malis admixta: quod sensum magnopere delectat, rationi sæpissime opponitur: quod in sese est maxime honestum, & rationi consentaneum, sensui sæpe, & concupiscentiæ displicet, & inter incommoda computatur. Ex hac triplicis illius boni inter

ter diversa objecta distributione, inæqualitate, relatione, & humanæ voluntatis, & appetitus indole fit, ut e duobus objectis diversa bonitatis specie præditis, quorum unum sensus delectet, rationi tamen non probetur, aliud vero maxime honestum, sensibus tamen incommodum, atque molestum opponatur, primum secundo præponamus; itaque delectabile bonum amemus, & amplectamur, ut ab honesto, non quod honestum est, sed quia delectationis jucunditate nos privaret, recedamus. Atque hic sane est hominis legem transgredientis casus. Liber animus inter honestissimam Dei Optimi Maximi legem a sensu retrahentem, & jucundum sensus oblectamentum legi oppositum liber versatur: cum sensuum illecebris, & passionum torrenti cedit, & retrahentem legem non curat, vitium quidem, ut jucundum, amplectitur; a Deo tamen, non ut bonus est, sed ut sensuum oblectationes prohibenti, atque incommodo avertitur. Id vero Boni, ut bonum est, odium dici non potest: sed transmissa summi boni honesti ratione, quam neque ignorat, neque transmittere debuisset; totum se ab injucunda jubentis Dei voluntate ad vetitam sensuum oblectationem convertit.

828. Quare purum Dei odium non modo in peccante homine non agnosco, sed ne possibile quidem esse pronuntio. Illa, quam modo dixi, humanorum peccantis hominis actuum series, atque ratio existit. Nullum hic apparet Numinis, ut bonum est, odium; neque mali sub ea mali ratione amor. Præterea purum cujuscumque boni odium, quo scilicet bonum ut bonum aversaremur, quin bonum aliquod insimul prosequeremur, non modo ex allatis hucusque rationibus impossibile existimo; sed ulterius addo, humanam voluntatem in odio numquam sistere. Actum quemcumque humana anima eliciat, in finem suum tendit: cogitantis animæ, sicut & cæterarum rerum, finis est perfectio, se se semper perficere propria indole adnititur: perfectio autem bonum: quidquid igitur cogitantes & volentes agamus, in bonum semper tendimus, in malo evitando numquam sistimus. Quod si malum aliquando tantummodo vitare nobismetipsis videmur: nihilominus si ultimam actionem quæras, commodi tandem aliquid, utilis, aut honesti ea te actione quærere, semper comperies.

§.

829. Ad id tandem, quod quinto loco examinandum nobis propofuimus, humanarum voluntatis actionum modum defcendimus, Neceffario ne, ut ab aliis naturalibus cauffis, ab humana etiam voluntate humani eliciuntur actus; an potius humana voluntas ad amandum, odio habendum cæterofque actus eliciendum libertate fruitur? De libertate a coactione non eft quod litem moveamus, aut difputando immoremur: nullus fcilicet eft, qui eam in nobis libertatem non agnofcat: innumeros enim quotidie a nobis elici actus, aut imperari actiones genio noftro, atque voluntatis indoli plane conformes, communis omnium hominum fenfus, & confcientia docet. Neque hanc in nobis libertatis fpeciem negant relati fuperius libertatis hoftes: hanc unam ii admittunt, & cum fatali neceffitate componunt.

830. Quæri id potius poffe videretur, poteftne humanæ voluntati eà inferri violentia, ut actus ab illa eliciti, coacti omnino exiftant? Sed omiffis quæftionibus de poffibili, hæc tamquam certa ftatui poffunt, 1. Omnis actus voluntarius eft etiam a coactione liber: duoque hæc *voluntarium*, & *liberum a coactione* idem plane fignificant. 2. Omnis actus elicitus a voluntate eft voluntarius, & confequenter etiam liber a coactione. 3. In actibus voluntatis fecundum diverfos gradus ratio voluntarii decrefcere poteft: eodemque modo coacti ratio augetur; locum id in omnibus iis actibus habet, quos ex metu elicimus: in rei tamen fundo & voluntarii, & liberi a coactione eliciuntur.

PROPOSITIO XXV.

831. *Mens humana, feu homines funt cauffæ liberæ libertate illa indifferentiæ fuperius definita.*

In graviffimi momenti quæftione ftabilienda, quæ humanarum omnium rerum cum præfentis tum futuri ftatus fundamentum eft, omnem verborum ambiguitatem penitus fublatam velim. Nullam hic quæftionem de nomine agitemus. Libros enim evolvendo, ut dixi, in plures incidimus, quorum auctores libertatis no-

nomen, atque speciem magnifice commendant, & fuse prosequuntur; si eo tamen verborum fuco detracto, rem ipsam examinemus; veros reapse fatalistas agnoscas, quos antea libertatis commendatores incautus suspexisti. Ne aerem verberemus, de verborum sensu, & idea libertatis conveniamus. Illam ego libertatis notionem intelligo, quam superius definivi. Mentem inter duo aut plura objecta, inter actionem ponendam, aut omittendam discernentem, ex sese ad utrumlibet eligendum indifferentem, ad unius partis electionem non compulsam, genio tamen suo unum prae alio active eligentem, eam, inquam, caussam liberam appello: de hac libertatis notione disputo.

832. Si libertatem alio sensu definias, si eam v. g. dicas *potentiam agendi, aut non agendi, prout volumus*, aut similes alias definitiones in medium afferas, & statuas; nihil sane a fatalistis recedis: eas omnes admittet *Collins*: posse homines agere, quod iis placet: reapse efficere, quod volunt, aperte statuit; dum interim fatalismum propugnat (*a*). Dixi jam, atque iterum dico, non paucas, quae apud scriptores leguntur, libertatis notiones a fatalistis omnibus subscribi in me reciperem, quin datam fidem fallere timerem. Primum igitur in re nostra esse debet, veram libertatis notionem statuere, de ideis convenire: statutam vero notionem apte probare, alterum id est praecipuum argumenti caput. Duplex libertatem probandi caput est, anctoritas, & ratio. Prior illa, religionis veritate jam posita, longe facilior est. Si veram esse revelatam religionem, scripturam sacram, revelationis existentiam una nobiscum Deista conveniret; libertatis existentia ex indicandis modo testimoniis purum esset illarum positionum corollarium. Quid tamen? Illa omnia Deistae, materialistae, caeterique omnes fatalistae negant, irrident: opusque esset, illa prius demonstrare, ut a demonstratis libertatis dogma descenderet. Longissima sane via, quam philosophi non tenent, maximus studentium numerus tenere nequeunt. Philosopho igitur hisce potissimum temporibus, atque cum adversariis hujusmodi agenti sola ratione, alia argumen-

(a) *Collins*. *Recherches* sur la liberté.

mentorum classe, utendum: præcipua tantum sacra testimonia indigito, unde libertatis dogma Christiani omnes demonstramus.

833. Primum teneat locum illud Ecclesiastici, *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilii sui: adjecit mandata, & præcepta sua. Si volueris mandata servare, conservabunt te, & in perpetuum fidem placitam facere* (a). Quid sane est, amabo, hominem relinquere *in manu consilii sui?* verene hæc dici possent, si hominum actiones fatali necessitate fluerent? 2. *Nonne si bene egeris*, inquit etiam ad *Cain* Deus, *recipies: si autem male, statim in foribus peccatum aderit? Sub te erit appetitus, & tu dominaberis illius* (b). Si hujusce testimonii veritatem, atque auctoritatem concedis; acta res est: bonum enim & malum in humanis actionibus admittis. Aliquid, quæso, in humanis actionibus potest esse mali, si ipsæmet actiones fatali necessitate ponuntur, nullaque est ad eos actus ponendum, aut impediendum libertas? 3. Tandem, ut plura alia omittam (philosophum enim ago), ille in sacra pagina commendatur homo, *qui potuit transgredi, & non est transgressus; facere mala, & non fecit* (c). Hæc & alia sacræ paginæ testimonia humanam libertatem, ut Christianæ religionis dogma, demonstrant. Plurima alia in scripturis loca, unanimis omnium Sanctorum Patrum consensus, & Christianæ Ecclesiæ in œcumenicis conciliis congregatæ definitiones, quas nullus ignorat, rei veritatem auctoritate conficiunt. Hæc tamen indicasse sufficiat, ne philosophicam palæstram in Controversiarum, & revelatæ theologiæ campum convertamus.

834. Libertatem sequentia demonstrant. Primo libertas secundum datam a me definitionem accepta in suamet idea apparet possibilis: nostro vero agendi, volendi & non volendi modo, & ratione inspectis, illamet libertas, quæ in idea apparet possibilis, in re ipsa apparet existens. Si utraque argumenti pars probetur vera; satis constabit humana libertas, cujus tum possibilitas, tum existentia suadetur. Et primo qui-

(a) *Eccles.* 15. *v.* 14.
(b) *Geneseos cap.* 4. *v.* 7.
(c) *Ecclesiastici cap.* 31. *v.* 10.

quidem in ideis spiritus cogitantis, inter diversa obiecta bona aut mala discernentis, utrumque comparantis, & unum præ alio eligentis nulla visitur contradictio. Unus esset *Optimismus*, quem nobis hac in parte opponere aliquis posset: si enim ejus indolis est humana voluntas, ut non nisi optimum eligere possit; electionis liberæ possibilitas tolli videtur. Sed illam sane haud esse rationabilis voluntatis indolem, nisi ego fallor, luculenter superius demonstravimus. Ulterius etiam idem hoc thema, *non a motivo scilicet, quasi mechanico præ valente pondere, sed a se ipsa sub motivo humanam voluntatem moveri* confirmabitur. Clara adeo per se est libertatis notio, ut ipsi etiam Optimistæ ad fatalismi notam fugiendam, Optimismum cum libertate componere adnitantur.

835. Jam vero libertatem, quæ inspectis rerum ideis, est possibilis, in humanis actionibus existentem apparere, quod erat alterum argumenti caput, ab hominibus quæramus. Id scilicet, cum facti res sit, communi experientia, sensu, conscientia, argumento testium decidendum est. In primis vero te ipsum tuæ libertatis consulo: homo liber es? in minimi etiam momenti rebus, atque actionibus, in exequendo, aut emittendo deambulationis consilio, amicorum salutatione, conscribendis ad amicum epistolis, libere ne hæc agere statuis, an potius fatali necessitate traheris? Non ego jam quid rei sit, sed quid appareat, impræsentiarum quæro. Idonei idcirco quæsitæ veritatis testes mihi sunt integrum humanum genus, agrestes pariter inculti, indocti, rudes, atque docti, & sapientes homines: dummodo quæcumque tum libertatis, tum necessitatis præjudicia deponant. Omnis scilicet evitandæ exceptionis gratia eos pariter a ferendo testimonio excludamus doctos, aut semidoctos homines, qui aut libertatem, aut fatalismum data opera adstruunt, & studio partium agitant. Plebejos quoscumque homines, Turcas, Paganos, Hebræos, Sinenses, Tartaros, hoc est, naturalis religionis ut plurimum cultores, Lutheranos, Calvinistas consule: ab iis, liberene res suas agant, an fatali necessitate trahantur, per otium quæras: quidquid in contrarium prædicent Bonzii, aut Mandarini inter Sinas, Lamas in Tartaria, Zoroastri discipuli in Perside, Alcoranus, qua late Turcarum dominium extenditur, Lutheranorum, aut

Cal-

Calvinistarum Cathechismi in septentrionali Europa; quidquid, inquam, contra universalem & redeuntem semper naturæ sensum clamitent, statuant: liberos sese existere per naturalem candorem homines semper fatebuntur. Unum hoc mihi sufficit circa quæstionem facti testimonium. Rem esse possibilem, sana demonstrat philosophia. Id vero a prudenti quocumque rerum æstimatore quærerem, quid de re tenendum, cujus possibilitas ratione demonstrata ab omnibus admittitur, existentia vero universis hominibus apparet manifesta? Libertatem scio possibilem, existere vero omnibus universim hominibus apparet.

836. Una huic argumento dari posset exceptio, homines scilicet existentis libertatis idoneos non esse testes; totamque illam existentiæ speciem contrario argumento elidi. Primam tamen exceptionem, vel hoc unum evertit, quod non ego, utrum existat libertas, quæram, sed utrum existere videatur. Libertas est possibilis; existere secundum indicia omnia communi existimatione apparet, en totum argumentum. Hoc testimonium validissimo argumento demonstretur falsum: quod erat alterum exceptionis caput. At nullo plane alicujus momenti argumento commune libertatis judicium probari falsum, satis modo dicenda demonstrabunt. Unde in hanc summam redigitur argumentum: illudne existere inficiabimur, quod & demonstratur possibile, & existere universim omnibus apparet, quin commune hoc testimonium probabili exceptione possit elidi?

837. 2. Si non est libertas, non est malum morale, nihilque in nobis est, aut perpretrari a nobis potest, propter quod aut erubescere, aut supplicio mulctari debeamus. Si quæcumque agis, fatali necessitate peraguntur, & quantumvis libera tibi appareant, occulto nihilominus atque inevitabili fato fluunt, quod neque tu, neque ulla rerum potentia impedire posset; quæcumque agas homicidia, adulteria, furta, scelera omnia, tibi amplius imputari non possunt, nihil amplius moralis malitiæ in sese habent. Homicidium scilicet perpetrasti? Si nulla in te fuit ad illud evitandum, faciendum, aut non faciendum libertas; perinde id tibi erit, atque si ab amente, & furioso homine, a puero perfectum rationis usum nondum adepto, a bellua feroci, ab homine vehemen-

mentiſſima ira, & rabie commoto, & ſui amplius non compote perpetraretur. Tuum ſcilicet non fuit manum cohibere; fatalis evolutio rerum, & cauſſarum ſeries neceſſaria te & velle, & agere impulerunt. Quicumque mortalium in iiſdem circumſtantiis extiteret, quod a te facinus, ab illo etiam pari neceſſitate perpetraretur; parique etiam rationis evidentia ab omni ſeſe culpæ macula immunem demonſtraret. Rei ſumma eſt: malum morale non eſt, niſi ab aliquo fiat, alicui imputetur; ſi nulla eſt libertas; nemo eſt, qui culpabilis cauſſa mali exiſtat, cui imputari poſſit malum: niſi ergo ſit libertas nullum eſt malum morale. Quidquid creaturarum eſt, habet cauſſam, rationem ſufficientem, auctorem: ſublata ab hominibus libertate, cuinam auctori, amabo, moralé malum imputabitur, quiſnam peccat? Si ergo libertatem negas; ut mali moralis originem, & auctorem aſſignes, in Manichæiſmum confugias opus eſt, & in Scyllam, evitata Caribdi, immergaris. Morale malum exiſtere, conſcientia noſtra; malum ſine libertate non eſſe, ratio demonſtrat: eſt igitur demonſtrata libertas. Hujus argumenti evidentia clarius adhuc apparebit, ſi fataliſtarum hypotheſim conſideremus. Humana voluntas, inquiunt, tamquam libra cogitans habenda eſt. Quod in materiali libra eſt inclinari, attolli, deprimi, trahi; in cogitanti eſt velle, nolle, proſequi, retrahi: humana ergo libra cogitans numquam eligit, ſed trahitur; eo ſemper fatali neceſſitate inclinatur, unde majus pondus adducit; homo proinde homicidium perpetrans, ad id rei tamquam libra trahitur. Bene eſt: homicidium ergo committere libræ potius commendatio, quam culpa vitium aut defectus haberi debet. Cogitanti libræ & in majus pondus ſeſe exactiſſime inclinanti morale ne malum vitium aut defectus imputari poteſt?

838. 3. Ex 2. hoc argumento alia enaſcuntur, quæ non minori evidentia propoſitionem demonſtrat. Si non eſt libertas; omnes cum divinæ, tum humanæ leges, ſupplicia reis decernentes, ſunt plane injuſtæ; homines ob peccata neceſſaria, hoc eſt, innocentes punire, injuſtum prorſus eſſet. Quid enim? hominem evidenter innocentem capite damnare? Quæ ſcilicet crimina, quæ moralia mala, quodnam vitium in libra ſeſe exactiſſime ſecundum ponderum actiones incli-

inclinante? At injustum id non est, respondet *Collins*, qui in neganda libertate, & adstruendo fatalismo palmam cæteris fatalistis tulit: pœnæ, inquit, & supplicia ideo decernuntur, atque infliguntur, ne perpetrentur crimina: id autem duplici modo consequuntur, primo quidem corrupta membra resecando, secundo vero timorem aliis incutiendo: id, sane, inquit, supplicia obtinent, eaque propter injusta non sunt. Bene est: repono; si ergo sint corrupta membra, quæ resecari oporteat: si nihil ad rem etiam faciat incussus timor, hoc est, si duplex illa ratio locum non habeat, utraque sit falsa; stabit semper argumentum, injusta omnia sunt supplicia, omnes pœnales divinæ, humanæque leges justitiæ opponuntur. Ita vero est; quænam in republica sunt, aut esse possunt corrupta membra, si nullus peccat, aut peccare potest? dum universi cives illa semper exactissime agunt, quæ agere debent, nullaque illis est ad deflectendum potestas, aut arbitrium; essene corrupta membra? Libramne exactissime semper sese secundum ponderum discrimina inclinantem, corruptam aut parum exactam dicere possumus? Præclaram enim vero corruptionem! Ea sane in libris corruptio præcipuum illarum pretium, atque commendatio existit. Si hæc nobiscum non sentias; si inter mercatores ita loquaris; loquendo quidem tibi & a cachinnis, & a lapidibus cave; sentiendo vero, te aut misanthropon, aut planeticolam inter Philosophos pronuntiabunt. Uno verbo, corrupta membra, aut corruptio sine vitio, sine malo, sine defectu, malum sine auctore, auctor mali sine libertate, ideæ sunt sibi mutuo contradicentes: aut igitur humanas ideas, & clarum, innatumque cogitandi modum tolle, aut sensum tuum tibi habe, inter planeticolas, si qui sunt, prædicandum.

839. Sed neque etiam timor ad rem facit: dicas enim, amabo te, quis mihi timor, si sceleratissima quæcumque crimina occultissime committam ab omnium plane hominum conspectu, & præsentia; cognitione, testimonio remotissimus? cum igitur nullus ab hisce factis, atque conceptis animo desideriis timor mihi esse possit; cum ob occulta quæcumque facta, dicta, aut cogitata ab hominum republica separari non possim; occulta omnia extra legum quarumcumque pro-

vin-

vinciam statuantur; nulla est, aut esse potest, qua illa prohibeantur. Quod nulla lege vetatur, immo neque vetari potest; neque dici, neque esse potest malum: quæ extra omne timendi periculum sita sunt, secundum hos philosophos legi non subjacent: unde consequens illud est, quod occulta quæcumque occidendi, aut facinus quodcumque aliud perpetrandi voluntas nihil in sese inhonesti contineat. Sed ne animo tantum in ideali regno spatiemur; tuum hoc ideale principium ad rem tuam contrahamus. Quis ergo vehementissimo te ipsum occidendi, fortunis omnibus spoliandi desiderio flagret, idque consilii apud se statuat, dummodo ille sibi ab hominum testimonio caveat; nihil ille mali, aut inhonesti cogitabit, quod liberalem hominem non deceat! æque ille tibi bonus, honestusque habebitur civis, atque si contraria omnia cogitaret, & exequi statueret? Qui ita statuis, ut tibi prospicias velim, ne idealis fatalismi victima vera occumbas, eo actu interemptus, quem honestum esse pronuntias. Quodsi fatalista in naturalem aliquam legem confugeret, ex qua ob occultum etiam desiderium timor incuteretur; magis ille se ipsum implicaret. Quomodo enim lex, si non est libertas? ad rem mihi impossibilem exequendam, ad rem omittendam, quam necessitate ago, aliquane concipi potest lex? Sed eo semper res devenit, si nulla actionum libertas, si omnia fatali necessitate peraguntur; nulla in nobis culpa, omnis lex inutilis. Summa rei semper est, mali moralis testis est conscientia: malum morale sine libertate impossibile esse demonstrat ratio.

840. 4. Quartum libertatis argumentum ab intima conscientia desumo. Non ego hic conscientiam libertatis, sed conscientiam mali intelligo: de priori illa statim dicemus. Facti res est, quod universi homines in quamplurimis actionibus a conscientia, quasi malum agamus, clarissime arguimur: si libertatem non habemus, quomodo contra conscientiam agimus; a conscientia de malo accusamur? Si necessario nos agere existimamus, atque voluntatem nostram quasi rationalem libram ad melius ad majus boni pondus semper inclinari, & fatali necessitate trahi credimus; idemmet factum, eamdemmet actionem triplici tamen circumstantia patremus: ut uno exemplo omnium humanarum actionum moralitatem exponamus. Hostem

a mi-

a milite occisum ponamus, dum justo bello patriam tuetur, vel vehementi ira correptus furoris æstu defertur, vel tandem dum sedato animo citra ullum passionis furorem aut belli legem res suas tantummodo agit. Idem in triplici hoc casu physicum factum; homo scilicet e vivis sublatus habetur: occisoris tamen animum facti conscientia tum solum torquet; cum posteriori illo modo rem peragit: aliquid igitur in tertio casu existit, & in aliis desideratur, quod conscientiæ caussa, & ratio sufficiens existat. Id sane pura hominis occisio, & mors physica non est; quæ in omnibus iis casibus eadem plane existit: totum id conscientiæ discrimen intra occisoris animum latet. Quid illud est ad intimum animum spectans, ex quo malum se commisisse sibimet exprobrat occisor, quod, morte duobus aliis modis peracta, non evenit? In prioribus casibus innoxio animo rem egi, inquit miles; posteriori tamen agens reum me esse agnosco, & sceleris conscientia torqueor. Si in posteriori hoc etiam casu non propria electione, sed fatali necessitate impulsus facinus commisit; si rem agens ad majus pondus cogitantem libram inclinatam agnoscit; par ergo in omnibus hisce casibus agendi necessitas existit: quod melius erat, & necessarium, commisit; rem non egisse, impossibile. Quid ergo conscientia torqueor? quid me incuso, malitiam mihi ipsi exprobro? Peccatum necessarium! aut sine libertate malum! voluntas necessaria non agit, sed agitur: conscientia tamen non actam sed agentem animam torquet.

841. Conscientia, respondet *Collins*, est judicium humanarum actionum secundum datam quamdam regulam: fieri autem potest, ut eam a se regulam non observari aliquis sciat, dum actionem exercet. Deinde unus pœnæ timor conscientiæ, aut intimæ illius torturæ caussa existit, seu potius timor unus tota est conscientia. Hæc responsio majus argumento pondus addit. Utramque illius partem singillatim examinemus. Esto, sit sane illa conscientiæ notio: regula quædam sit, quam a me observari debere, re tamen, atque facto non observari, certo sciam. In casu voluntariæ occisionis rem habemus: post factum conscientia torqueor: in regulam igitur occidendo commisi. Si ergo demonstrem, nullam mihi fuisse non occidendi regulam, tota in fumos abiit responsio. At ita est: regula

gula facti non potest esse impossibilis: non occidere; quocumque in casu occisio accidat, est plane impossibile: necessitate enim fatali agimus, quidquid agimus, opposita omnia sunt impossibilia: nulla igitur est regula non occidendi: in regulam proinde non commisi. 2. Quidquid agam, melius semper ago, ad id semper inclino quod unum est in iis circumstantiis possibile: esse autem, aut fingi regula aliqua potest, quæ & melius non agere, & impossibile agere juberet? Ad abstractas ideas, & Chymærarum regnum non divagemur: ad actiones humanas rem contrahamus: hæ unæ sunt totius controversiæ argumentum. In quibuscumque circumstantiis agam, quidquid efficiam, ago quod possum, ago quod debeo, id non agere, oppositum efficere, impossibile mihi prorsus existit: hæc tibi summa ferum est: quænam ergo in me culpa? observatu impossibile peccatum? estne lex observatu impossibilis? Nisi hæc evidentia dicamus; quid amplius evidens existat, non facile invenies. 3. In caput semper redimus, principium petis: si in regulam peccamus, actionum, atque morum regula est; si morum regula est, bonum etiam, & malum imputabile sit oportet: si bonum, & malum imputabile existit, libertatem tandem admittere necesse est: caussæ enim nulla libertate agenti, sed fatali necessitate actæ imputari non potest malum, laudi etiam tribui nequit bonum, ut ex idearum nostrarum evidentia paulo superius demonstravimus. A primo igitur ad ultimum data illa argumento responsio, quidquid de regula morum statuere possunt fatalistæ, eos magis semper implicat, semperque conscientiæ argumentum rodit.

842. 4. Quænam illa regula est, in quam peccamus? quisnam illius auctor? estne æterna, atque necessaria morum regula, an potius arbitraria hominum conventio? Si primum; Sunt ergo mores, laus, vituperium, bonum, malum, & libertas, ut iam demonstravimus. Si diceretur secundum; neque ulla esset generalis regula, aut conscientiæ dictamen: cum nulla sit generalis omnium nationum arbitraria conventio: neque ad occultas actiones, ad actus mente, & animo conceptos hominum conventio extenditur. Præterea in omnibus, quæ necessario, aut inviti agimus, etsi contra illam regulam, contra conscientiam aliunde essent,

quia

quia tamen necessario aguntur, nihil a conscientia arguimur, accusamur, affligimur: contra vero, quamprimum illa propriomet nomine, electione, atque voluntate gerimus.

843. Timor etiam, quod erat alterum responsionis caput, minus adhuc ad rem est. Timor ponit legem, & constantem regulam, ob cujus violationem nobis merito timeamus: ex timore igitur regula morum, ex regula malum imputabile, ex malo imputabili libertas consequitur. Quid enim prudens timor sine rationabili lege? rationabilis autem potest esse lex, quæ id jubeat, quod observatu est impossibile? 2. Quid etiam timor ad occulta cogitata? Unde enim timerem, si mala desideria animo tantum sine testibus, sine libertate concepi? Nulla tum scilicet pœna, aut pœnæ periculum: si ergo ex timore esset conscientia; nihil ab illa in occultis quibuscumque casibus pateremur, nulla in iis esset conscientiæ tortura, monitio, stimulus: at quantumvis occulte rem agamus, concipiamus, velimus; adest illico conscientia, individuus illarum etiam cogitationum comes, & fatalistarum etiam animi tortor. Pura forsitan præjudicia conscientiam esse, dices: sed rem dicere, facile habetur; probare, impossibile. Te ego ipsum *Spiritum fortem* in puerilia hæc omnia præjudicia, & literarii vulgi nænias ærea fronte, animo, & mente obfirmatum appello: ab incommodis hisce quisquiliis spiritum fortem dedecentibus mentem, & animum libera.

844. 3. Hactenus a conscientiæ testimonio, atque pœnarum justitia argumentum desumpsi: modo ab earumdem inutilitate argumentemur. Si non est in hominibus libertas; inutiles plane sunt minæ, pœnæ, terrores, & cætera hujusmodi ad homines a sceleribus, & peccando retrahendum. Si enim necessario peccamus, & majus bonum semper agimus; pœnæ omnes, & timores de medio tollantur, melius semper necessitate eligemus: hominem igitur, ne scelus committat, terrere, pœnas comminisci, supervacaneum est: timore enim posito, vel sublato, res perinde vertet: necessitate agitur. Quæ huic argumento *Collins*, & fatalistæ cæteri respondent, illius efficaciam ostendunt potius, atque pondus adhibent, quam enervent. Timor, inquiunt, pœnæ, atque minæ eo inserviunt, ut necessitatem inducant, hominesque in malum alio-

quin

quin lapsuros, a malo perpetrando necessitate retrahant, & in oppositum bonum necessario inflectant: quæ ejusmodi sunt, inutilia dici non possunt. Bene est: ex data tamen hac responsione argumentum ita desumo: Si terrores, atque pœnas, ut a malo necessitate retrahant, utiles esse dicis: est igitur malum, quod terrore sublato, ab hominibus necessario perpetraretur, iisque vitio verteretur: duo igitur hæc admittis, malum morale, malum necessarium: quisnam tamen mali auctor, origo, principium? cuinam imputabitur? Estne homo sine libertate malus? tibine vitio, & morali crimini dabitur, quod id non egeris, cujus efficiendi nulla tibi fuit potestas, fuit autem in oppositum necessitas? Si hujusmodi ideæ & sibi mutuo, & clarissimo conscientiæ testimonio, & lumini non contradicunt; quid contradictionis vocabulo intelligendum sit, non facile definies.

845. 2. Ad occultum iterum facinus, ad internum desiderium animo conceptum terror ille, atque intentatæ pœnæ non extenduntur. Quidquid terroris, pœnæ, minarum nomine significas; vel homines, vel Deum habent auctorem, atque executorem: duo enim hæc a diversis fatalistarum classibus admissa, atque stabilita novimus. Si primum statuas, Deumque omnino, aut ejus saltem Providentiam verus materialista aut Epicureus tollas; cum in intimos animi conceptus mortalium scientia, atque jurisdictio non extendatur; ad mala animi desideria, ad occulta quæcumque facinora evitanda inutiles sunt terrores, pœnæ, vindictæ: totumque proinde redit argumentum. Quodsi Deum statuis, qui intima quæcumque, atque occulta cognoscat, & supremum in illa jus habeat; vera hac hypothesi argumentum non declinas. Si a Deo occultissimum etiam animi desiderium, præmissis terroribus prohibetur; id sane desiderium est, quod si concipiam, supplicio afficiar: a Deo autem justo, & optimo suppliciis affici, quin verum præcedat demeritum; demeritum, quin sit malum; malum sine libertate, ne concipi quidem potest. Id scilicet esset peccatum sine auctore, effectum sine causa, & ratione sufficienti concipere.

846. 3. Præterea hominem eo rerum, atque circumstantiarum statu considero (id quod sæpissime accidere animadvertimus), ut terrore, legibus, suppliciis, pe-

riculis mente præsentibus, atque vividissime repræsentatis vetitum nihilominus scelus exequatur, furtum committat, homicidium perpetretur. Bene est: Rem sæpe accidere comperimus: terrores, pœnæ, supplicia habentur præsentia, facinus committitur, reus declaratur, supplicium decernitur. Hoc in casu terror, pœnæ, supplicia hominem ab homicidio retrahunt: eo hæc collineant, ut necessitatem inducant, hominemque a physico illo homicidio avertant; ejus tamen animum non inflexerunt: in hisce omnibus casibus, in quibus nullum sortiuntur effectum, inutiles plane existunt: opposita majori vi humanus animus fuit ad homicidium perductus, & fatali necessitate pertractus. Ita rem esse, atque fieri concedis. Homo tamen ultimo supplicio ab hominibus, a Deo afficitur: hominem autem plane innocentem capite mulctare? æternis suppliciis damnare? id leges decernere? quid tandem iniquum dicemus, si hoc eo nomine non donemus? Leges igitur illas pœnas decernentes sæpissime quidem inutiles, semper autem iniquæ existunt. Sed quid in innocuas leges tantopere invehimur? fatali necessitate illæ etiam a legislatoribus statuuntur; si nulla est in humanis libertas. Fatalis scilicet erit necessitas, quod in eadem orbis terraquei parte, eodem climate, atque natione, modo una, modo oppositæ leges edantur? ab uno eodemque homine pro temporum diversitate contraria statuantur, unusque legislatoris actus oppositam voluntatem subsequatur? Quæ hucusque expendimus argumenta, humanarum actionum libertatem meo quidem judicio evidenter demonstrant: ejusmodi sane illa sunt, quæ si neges, nihil forsan est, quod pari etiam temeritate negari non possit. Nullam nos hypothesim ponimus, a qua argumentum desumamus. Dubia etiam principia in subsidium non vocamus: ex idearum nostrarum claritate, ex intimo conscientiæ, & rationis lumine, atque testimonio fatalistis æque atque cæteris hominibus communi rem totam desumimus. Hic sane locus est, unde major in humana philosophia peti possit, atque haberi argumentorum evidentia, hoc est, veritatis criterium. Nisi idearum nostrarum claritatem negemus, nisi rationis evidentiam perfectissimum veritatis criterium esse dubitemus, nisi communem conscientiam nobismetipsis contradicentes non audiamus; fieri non potest, ut liber-

bertatem superius definitam in nobis esse non fateamur.

847. Duplex aliud est libertatem adstruendi caput, *auctoritas*, & *sensus*, hoc est, *fides*, & *experientia*. Prima illa, ut jam dixi, in theologia naturali, seu methaphysica non admittitur. Credentis, non pure ratiocinantis, est testimonio stare, auctoritate litem definire. Secundam probandi rationem, seu experientiam ab omnibus philosophantibus ad libertatis quæstionem resolvendam adhiberi animadvertes: quin immo proposita sibi quæstione, nullus fere est, qui ad experientiam illico non provocet, ab illa initium disputandi non faciat, experientiamque non statuat primum libertatis asserendæ argumentum. Plures etiam videas, qui experientiæ argumento adeo fidant, ut eo uno rem dirimant. Quis scilicet est, inquiunt, qui in se ipsis puram agendi voluntatem esse totam actionum rationem non animadvertat? Manum enimvero attollimus, quia volumus; inter elevandum, cum nulla nos ab ulteriori motu detineat ratio, sæpe sistimus, in contrarium motum, & directionem convertimus. Cum manum deprimimus, id præterea quod caput est, in nobis deprehendimus, posse illam a nobis & detineri, & deprimi, & mille aliis directionibus moveri. Duo igitur mihi in manuum mearum motu experientia demonstrat, manum scilicet me pro voluntatis meæ placito deprimere: hoc primum: cum manum præterea volens deprimo, & ejusmodi volitionem intra me elicio, contrarios motus, & contrariam etiam ejusmodi motuum voluntatem concipere posse, primamque in secundam voluntatem convertere: hoc alterum: experientiæ igitur res est, quod ita ego me, aut manum voluntate moveo, ut contraria omnia insimul possim, plenamque proinde, atque absolutam mihi esse ad datos illos oppositos motus indifferentiam, quam pro lubito meo activa voluntate tollo.

848. Si duo hæc ultima demonstrentur, nimirum si non modo me voluntate agere, sed etiam, cum manum volens deprimo, posse insimul me contrarium motum velle, & ponere, probetur, si ad id sensus, & experientia extendatur; actum est: de libertate amplius disputare superflueret. Nullus sane est, ne de ipsis etiam fatalistarum gregibus, qui id inficietur. Ad id ne tamen experientia extenditur? secundum ne

illud experientia constat, aut constare etiam in præsenti providentia potest? Ad rei nodum, atque arboris radicem pertingimus. Primum sane illud, *nos agere cum volumus, agere quia volumus, volentes agere, a voluntate nostra actus effici*, plane constat; id unum experientia demonstrat: a nulloque fatalista id in dubium vertitur. Neque id tamen est libertas indifferentiæ, neque ejus rei sensus libertatis experientia dici potest. Da hominem, cujus voluntas in suos actus reapse agat, qui volens agat; semper tamen necessario velit probet & amet, quod agit: quæ quidem hypothesis in Angelis, in cæteris beatis, in hominibus etiam aliquando existit. Ejusmodi sane homo ageret semper, quod vellet, & quia vellet, volens semper ageret, voluntate ageret: id in se experimento disceret: essetne idcirco liber? Auctores videas, qui cum hanc unam in humanis actionibus experientiam adducant, atque adducere possint; libertatem tamen experientia demonstratam esse pronuntiant. Utrum ii quidem quæstionem satis intelligant, ipsi viderint, & ex modo dicendis patebit.

849. In re ergo præsenti sequentia statuo: 1. Humana libertas sola etiam naturali ratione spectata, est demonstrata: neque igitur per religionem, neque per naturalem rationem, atque idearum nostrarum claritatem de ejus existentia dubitare licet. 2. Eamdem vero libertatem ab experientia probari, illius existentiam quæstionem experientiæ esse, id ego affirmare non ausim; si res penitius inspiciatur, atque non quidem apud hominum vulgus rem leviter consideremus, sed post intimam idearum analysim, & penitiorem totius rei meditationem inter doctos homines argumentum enucleetur. Verbo dicam: Experientia specie quidem libertatem demonstrat; hominumque vulgo humana libertas veritas experientiæ existit: reapse vero, atque rerum fundo enucleatius perpenso, ab experientia libertatem demonstrari posse dubito. Id ego duplici de capite dico: *primo* ut philosophos omnes, qui libertatem tenent, eamque ab experientia probant, ad profundiorem rei totius discussionem instituendam adducam: quo forsan aliquando fiet, ut libertatis experientia, quæ modo hominum vulgo satis manifesta apparet, hominum etiam profunde meditantium menti probetur: eoque pacto ab illo dubio ma-

male forsan a me proposito luculenta gravissimi dogmatis certitudo sensibilis enascatur. *Secundo*, ne fatalistæ, dum illam in sese experientiam sentiri negant, illudque argumentum, si minus vere, speciose saltem solvunt, eo de capite libertatis dogma, & nos etiam irrideant, quasi dubio argumento, aut etiam, si ipsos audias, falso rem gravissimam statuamus. En igitur, quæ ego rem hanc cogitando invenio.

850. 1. Utraque pars, cum libertatem affirmantes, tum negantes ad experientiam provocant, suumque ab illa sensum deducunt. Forsitan falluntur omnes: libertas rationis quidem, atque fidei dogma est: forsan tamen experientiæ, & sensus non existit quæstio. Rem penitius videamus. 2. Liberum me esse sentio, inquit primus: unde hoc habes? quia id ago, quod volo, ago quia volo. Duo hæc verissima esse, admitto, & in me ipso etiam experior, inquit fatalista: ago etiam semper quod volo: & quia volo: agendi, & non agendi unica caussa, atque sufficiens ratio in me est voluntas. Hucusque experientia procedit, atque demonstrat: id tamen solum, nisi aliud addatur, ad libertatem non sufficit, non est, esse liberum. Id tantum est, agere semper quod volumus, quod genio placet: voluntarium id quidem, non tamen liberum existit. Quid enim si dicam, ego semper quod volo, sed necessitate volo; animi mei volitiones, consilia, actus, & voluntates cæteræ naturali necessitate ab anima eliciuntur: ad hæc voluntatis meæ consilia, & volitiones, atque secundum hæc consilia, & volitiones necessarias postea semper ago. Externa omnia pro lubitu meo & secundum genium, atque probatum consilium ago; illud tamen consilium, genius, & voluntas sunt in me necessaria. Res tota in hoc unum redigitur, fierine potest, ut homo semper agens quod vult, prout vult, quod genio, consilio, beneplacito suo magis arridet, & probatur, necessitate nihilominus semper agat, nullaque ad oppositum volendum, aut exequendum libertate fruatur. Hic scilicet Beatorum spirituum casus est: ineffabiles illæ voluntatis fruitiones, quibus beatitudo consistit, secundum eorum genium, & voluntatem sunt: semper agunt, quod volunt, prout volunt, & in quo semper gaudent; quin tamen in ejusmodi agendi ratione, modo, statu vera insit libertas.

851. Rem adhuc ulterius promovere possumus: opusne est, ut qui necessario operatur, ejusmodi necessitatis atque conditionis conscius existat, eam in sese animadvertat, experiatur, percipiat? an potius fieri potest, ut dum necessario quis agit, suarum nihilominus actionum necessitatem non animadvertat, immo potius dum sese pro lubitu semper agere agnoscit, liberum sese non satis cautus pronuntiet? Si hoc secundum non demonstretur impossibile; actum est de argumento experientiæ. Unde enim ab experientia probabimus, quod ejusmodi non sit præsens nostra hominum conditio? Si libra esset ens cogitans, & versus eam partem inclinari semper vellet, unde majus trahit pondus; ageret illa semper, quod vellet, prout vellet, ad lubitum suum semper moveretur: hæc tamen omnia non libere, sed necessitate ageret. Humana voluntas, pergit *Collins*, cujus sensu fatalistæ omnes loquuntur, humana voluntas libra illa cogitans existit, inter duo semper pondera, inter duo motiva. & rationes ad oppositam partem trahentes constituta: illudque semper volumus, a quo magis trahimur, quod efficacius sensu, aut ratione movet: pro lubitu igitur semper agimus, quod nobis magis in agendi casu, & circumstantiis arridet, prout volumus, id semper agimus: interim tamen velle illud nostrum genio semper conforme a naturæ ipsius, & prævalentis motivi actione necessario fluit; quin eam fluendi necessitatem animadvertamus.

852. Enim vero mechanica libræ idea humanæ voluntati falsissime tribuitur: id tamen modo non agimus: libertatem jam demonstravimus: id unum modo quærimus, experientia ne possit hoc argumentum decidi. Experientia ne habemus, quod nostra cujuscumque voluntas ad cogitantis libræ instar majus semper bonum volentis non existat? Ita quidem est, reponet experientiæ fautor, postquam ad deambulandum ex ratiocinabili motivo memet volens deliberavi, inter deambulandum, eodem stante motivo, eodem illo trahente pondere, nulloque alio in contrarium agente, volens sisto, aut inceptum iter flecto. Experientiæ hic casus est, in mille passim humanis actionibus occurrens: quis autem hanc esse libertatis experientiam inficiabitur? nulla hic libra, nullum non modo majus, sed ne ullum quidem oppositum pondus cogitantem libram

bram in oppositam partem flectens. Quin immo id nos etiam animadvertimus, flectere nos scilicet viam, quia contra unicum illud agens pondus flectere volumus experientiæ igitur res est, humanam voluntatem libram illam mechanicam non esse, sed activa prorsus libertate ex sese agere.

853. Ultimum attingimus argumenti experientiæ recessum: vereor tamen, ut eum etiam angulum servare possimus. Rei analysim instituamus. In hoc quidem, & mille aliis casibus sistimus, quia volumus: ad rem istud non est: ad libertatem non sufficit. Rei totius cardo est, utrum experientia mihi constet, contrariam tum a me volitionem elici potuisse, cum sistere medio in cursu volui: utrum in iis rerum circumstantiis, in quibus volui sistere, potuerim etiam nolle. Modo quidem nolebas, inquies, tempore proxime subsequenti nolitionem mutasti. Ita quidem: verum nullane in tua mente mutatio? eædemne prorsus circumstantiæ? ad novam sistendi voluntatem etiam præcessit nova mentis perceptio, hoc est, animæ percipientis affectio: alius igitur est circumstantiarum status: experientia igitur non habemus, quod mutetur volendi consilium, quin alia in mente præcedat, aut comitetur mutatio, quæ voluntatis volitionem necessario trahat: neque etiam contrariam tunc a me elici posse volitionem, cum aliquid libens volo, aut nolo, experientia doceor. Non hic jam de motu, aut quiete, sed de volitione motus, aut quietis agitur; motus, aut quies volitionem, volitio mentis repræsentationem consequuntur. Si ergo dicat aliquis, novam quamcumque volitionem aut nolitionem movum etiam in mente actum, aut actus intensionem, seu remissionem præcedere: illamque esse animæ indolem, ut novum quodcumque mentis lumen, perceptio, affectio novam secum voluntatis inflexionem, seu affectionem trahat; itaque homines esse comparatos, ut ad prævalentem illam in mente, aut sensu vim libentissime assentiamur, quin oppositum a nobis pro eo circumstantiarum statu fieri non posse, animadvertamus; Si, inquam, ita aliquis philosophetur? Falsissima quidem dicet: rei tamen falsitatem experientia constare, ut omnibus fere statuere placuit, sit eorum pace dictum, solum rei corticem attingere est.

854. Nemini, credo, in mentem veniet, male me

de humana libertate mereri; propterea quod eamdem experientiæ rem esse non statuam, aut dubitem. Quid de libertate teneam, satis hucusque dixi: rem ego demonstratam existimo. Experientiæ argumentum omnibus illis aptissimum esse dico (integro fere humano generi), qui humanarum actionum, mentisque nostræ naturam, indolem, rationem medullitus non introspiciunt. Cogitanti philosopho subtilia plurima in libertatis analysi occurrunt, quæ quidem ratione, aut fide facile definiuntur, sensuum tamen experientiam, & hebetudinem fugiunt. Cum hominum igitur, philosophorum etiam & sapientium, vulgo agens libertatem iis ab experientia demonstra: quod si cum altioris subsellii hominibus agas; alia tibi tractanda sunt arma, alius est tenendus argumentandi modus. Hæc etiam eo dixi, ut sapientiores alii, in quorum manus nostra hæc aliquando inciderint, hoc iterum experientiæ argumentum ad incudem revocent, promoveant: propositam a me idearum seriem examinent, discutiant, rejiciant: rem enim, & mihi gratiam, & Philosophiæ, & Religioni utilem efficient, si subtilissimas omnes humanæ mentis ambages, naturam, modum experientiæ subjiciant, & subjecta esse demonstrent. Interim tamen nomini suo semper consulant. Satis haud est veterum cantilenas in scenam producere: nos istæ non latent: nostras iis animadversiones addidimus: quæ ne veræ sint, sincere vellemus.

§.

Fatalistarum argumenta.

855. Contra humanam libertatem plurima opponunt Fatalistæ; omnia sunt parvi momenti, atque ad sequentia capita reducuntur. 1. Humanæ actiones, & bona voluntati proposita aut sunt, seu repræsentantur perfectione æqualia, aut inæqualia; in neutro casu libere agimus: si primum, nihil agimus, cum agendi ratio sufficiens desideretur: in secundo melius necessario agimus, quantumvis naturalem illam necessitatem non animadvertamus. Respondeo: hoc argumentum late superius versavimus; cum de Principio rationis sufficientis disputavimus: quo quidem in loco humanam voluntatem, immo & Deum ipsum liberrime

pror-

prorsus agere, demonstravi; quin tamen rationis sufficientis principium sano sensu intellectum in utroque illo casu desideretur. Adductum argumentum eos tantum impetit, qui rationis sufficientis Leibnitianum principium admittunt, libertatem nullo modo impugnat.

856. 2. Animalia perinde ut homines agere videntur, quin tamen sint libera: quidni igitur homines pari etiam necessitate agere dicamus? Resp. Qui hoc argumentum contra libertatem proponit, caussæ suæ satis se diffidere demonstrat. Nullum esse in brutis animantibus consilium, nullam rationem, aut de rebus non sensibilibus cognitionem, alio in loco evicimus: neque ab iis, qui hæc opponunt, id in dubium vertitur: ad libertatem vero illa omnia requiri, ipsamet libertatis notio ostendit, & universi cogitantes statuunt. Percipiunt quidem, & suo tandem modo cognoscunt bestiæ; sed hæc ad libertatem requiruntur, non sufficiunt: sublimior ad id opus est ratio. Præterea idem semper, & constantissimus agendi modus singulis brutorum animantium speciebus proprius physicam actionum necessitatem in animatis illis, atque percipientibus ostendit: dum contra in humana specie, in una, eademque gente, uno eodemque homine miram consiliorum varietatem demiramur: hæc quidem, & innumera alia, quæ prætermitto, humanarum actionum modum a ratione agendi bestiarum toto cælo diversum evincunt.

857. 3. Opponit *Collins*: In parvulis infantibus nullam agnoscimus libertatem: idem tamen est puerorum, atque hominum agendi modus: quinquennem puerum cum se ipso jam decenni comparemus: eane inter infantis actiones pro duplici illa ætate editas deprehenditur differentia, ut in priori necessarias, in posteriori liberas esse dicamus? quinam ille est actionum terminus necessitati, atque libertati communis? quandonam, amabo, incipit in puero libertas, actionum necessitas desinit? diverso ne modo in grandioris, atque in minoris pueri organa, nervos, musculos, uno, atque alio anno externa agunt objecta? Si eadem est semper machina, iidem machinæ elateres, mechanismus, organa, idem animus, eadem tandem objecta; unde diversum illum agendi modum repetemus? Consulunt quidem inter sese homines, consulit decennis, de quo

lo-

loquimur, puer, qui, ut dicitis, liber jam exiſtit: at quinquenni puero ſua eſſe conſilia negabimus? cum a neceſſitate ad modum agendi liberum tranſeunt, nullane in iis mutatio? quænam? unde?

858. Reſpondeo: tum in pueris libertatis uſus incipit, cum primum rationis lumen affulget, puerilis animus ratiocinatur, conſulit, dubitat. In iis proinde communis inter neceſſitatem, atque libertatem limes eſt ratio, quæ eadem ætate omnibus univerſim pueris non explicatur. Climatum, temperamenti, & aliarum hujuſmodi cauſſarum effectus id eſſe ſolet. Rationis tempus, atque explicationem ſtatue, & libertatis initium in pueris definiſti. Ad eum uſque terminum citra conſilium, tamquam aliquid inter beſtias, & homines medium, pueri agunt. Diverſum in hominibus, atque in pueris rationis expertibus agendi modum eſſe, res ipſa per ſeſe loquitur. Ratio ipſa actionum diverſitas exiſtit. Rem probare, aut diutius in hiſce immorari operæ pretium eſſe non exiſtimo. Pœnæ tamen, & ſupplicia, argumentari ulterius poteſt, pueris inflicta non ſunt injuſta; quantumvis adhuc in iis non ſit libertas, neque conſequenter peccatum: ideoque infliguntur, ut in rectam viam adducantur. Quidni igitur idem de pœnis univerſim dicendum? Reſp. Leves illæ pœnæ, & ſupplicia, quæ pueris rationis, & libertatis uſum nondum adeptis infliguntur, & leviſſimæ ſunt, & pura educationis ratio: cum mortis igitur pœna aliiſque graviſſimis ſuppliciis in ſceleſtos homines decretis comparari non poſſunt.

859. 1. Opponitur. Quidquid de novo producitur, a cauſſa neceſſaria efficitur, & conſtanti quadam naturalium cauſſarum neceſſitate peragitur. 2. Quin immo ſi cauſſa non eſt neceſſaria; cauſſa eſſe, atque nuncupari non poteſt: neque enim peculiarem cum effectu relationem habet, ſed ad effectum ponendum, aut non ponendum indifferens exiſtit. Cum hujuſmodi indifferentia ſtarene poteſt naturalis inter effectum, & cauſſam connexio? Uno verbo, in ſyſtema caſus incidere videmur: perinde ſcilicet Epicureus caſus cum hoc mundo, & liber animus cum effectu libero peculiarem non habet connexionem: ſi nihilominus a libera cauſſa effectus illos eſſe dicimus; pari etiam ratione atomorum caſus hujuſce mundi cauſſa phyſica eſſe poterit. Contra vero ſi caſum a cauſſarum numero, & mu-

munere ob connexionis defectum merito rejicimus; quidni pariter de caussis liberis philosophabimur? Respondeo. Quod primo loco adducitur, cum nulli prorsus rationi innitatur, precarium solummodo argumentum esse potest: assertum igitur rationi prorsus, atque conscientiæ oppositum negamus: neque aliam ad negandum rationem præter superius dicta in medium adducere oportet.

860. Secundum argumentum ab homine philosopho, qui rem ipsam introspicit, nomenque suum amat, in scenam produci non deberet. Caussa libera peculiarem habet cum effectu suo relationem, atque connexionem: quæ tamen est hujusmodi, ut actus quidem in caussa contineatur, a caussa cognoscatur, & illum pro lubitu eligere possit; quin hujus connexionis beneficio electionis ratio evadat necessaria, seu caussa ipsa ad aliquem effectum fatali aliqua necessitate compellatur. Huiusmodi connexionem esse possibilem, ex libertatis notione demonstratur, & superius confecimus. Estne vero hæc Epicurei casus cum hujus mundi productione connexio, atque relatio? Casusne, & fortuitus atomorum concursus, atomi ipsæ fortuito motu agitatæ aliquamne cognoscendi, eligendi, atque ordinis virtutem habent? Quid enimvero casus, nisi pura inter combinationes quamplurimas possibilitas? Libertatem igitur in fortuiti casus hypothesim ducere, caussam liberam veram caussam dici non posse, nullamque inter huiusmodi caussam, & effectum connexionem esse, falsissimum existit. In caussæ liberæ notione hæc omnia intelliguntur, inter duos effectus distinguere, utrumque seorsim active agere posse, unum præ alio eligere, electum vero propria virtute producere: omnia hæc in *casu* desiderantur: primum ne igitur ad secundum ducere citra sinceritatis labem affirmari poterit?

861. Opponitur 5. Libertas est pura, aut magna saltem imperfectio, atque malum Deo Optimo Maximo non dignum: præsentis enim hominum status imperfectionem constituit potius, quam perfectio existant. Quid enim? Secundum nos etiam, & religionis dogmata in Beatis, in patria, in statu illo perfecto amplius non est libertas: nostrane illi in eo beatitudinis statu perfectione carent? Posse ne malum eligere, posse malum agere, inter perfectiones numerabimus?

mus? Si malum prorsus agere non possemus; deteriorne nostra hominum conditio existeret? Duplicem illum necessitatis, & libertatis statum secum invicem comparemus: in cælo angeli, cæteri beati semper verum, semper bonum necessitate intelligunt, atque efficiunt; ab omni amplectendi erroris, & patrandi mali periculo felici necessitate existunt immunes: istamne vero necessitatem humanæ illi errandi, & malum perpetrandi libertati comparare, aut postponere?

862. Respondeo. Plura in hoc argumento involvit *Collins* rhetoricis potius ornatibus, quam exacta idearum dispositione, & logico ratiocinio proposita: alia ab aliis distinguamus. Libertatem ex genere suo esse imperfectionem prorsus nego. Posse enim & bonum, & malum agere, est sui juris plane existere, suarum actionum dominium habere, nomine suo agere, & meritum sibi comparare posse: quæ quidem omnia perfectionem in se continent, nihilque aliud imperfectionis secum deferunt, nisi quod finitarum rerum conditionis est. Id ipsum in humanis etiam rebus communis hominum sensus agnoscit. Duos homines pari alias conditione præditos tibi statue, hoc uno tamen inter se discrimine diversos, quod primus bonum ita agat, & virtutum actibus ita apud homines mereat, ut opposita omnia efficere posset; dum interim alter eadem quidem agit, fatali tamen necessitate ad ita agendum rapitur: quisnam eorum, amabo, esse velles? quisnam bene apud homines meretur, nomen sibi, gloriam, laudem, & commendationem comparat? Cuinam teneris? quem commendatione dignum existimas? Si hæc rite perpendas, boni & mali, perfectionis & imperfectionis notiones inspicias, & secum conferas; facile mecum convenies, 1. Humanam libertatem perfectionem veram existere: 2. humanam tamen ejusmodi perfectionem finitarum rerum conditioni esse obnoxiam: ita est perfectio, ut cum imperfectione sit conjuncta. 3. In ea providentia, in qua homines mereri decernuntur, libertas hujusmodi qualicumque imperfectione temperetur, est conditio prorsus necessaria: nisi liber existas, bonum agere, aut omittere valeas; nihil meriti aut laudis comparare, melior aut perfectior fieri non poteris. 4. Cæteris omnibus aliunde paribus perfectius apparet liberum, quam necessarium agens: primum enim se magis semper perficere, & me-

merita comparare potest; dum interim secundus fatali necessitate semper agens, nihil sibi laudis, meriti, aut beneficii acquirere potest.

863. Beatitudinem, seu statum patriæ cum præsenti hominum conditione, divinam cum humana libertate comparare in re præsenti non possumus. Nulla in comparatis hisce terminis proportio rerum existit. In Deo est infinita perfectionis summa, quacum creata illa perfectio stare non potest, quæ finitæ tantum creaturæ esse potest, & imperfectionem secum habet, cuiusmodi est humana libertas. Id tamen ex ratione entis a se, infinite perfecti, & justi provenit: inter infinitum autem, & finitum aliquane fieri potest in re nostra comparatio? In duobus illis beatitudinis, & mortalis vitæ statibus nulla est rerum & conditionum similitudo. Duo illi rerum status omnia fere habent diversa, diversos fines, media, & proprietates: primus est status merendi; fruendi vero secundus: ad primum igitur necessaria est libertas, quæ inter præcipuas illius status proprietates, & fundamenta statuatur, omnino oportet. Cum libertas illa in genere morum, totius meriti fundamentum, fruendi statui superfluat, hoc est, ad præmia ob comparata merita fruendum non requiratur; dici sane illa non potest beatorum perfectio.

864. Omnia igitur hæc in pauca colligendo ita varios argumenti sensus distinguo: est pura imperfectio humana libertas hominibus a Deo primitus concessa, nego: In libertate humana ab hominibus vitiata duplicem iterum distinguo sensum: Quod in illa a Deo est, nego esse imperfectum; quod ab humanæ voluntatis vitio, concedo. Nullo negotio omnes hos sensus admittes, si humanam libertatem, & voluntatem enucleatius inspiciamus. Deus homines creando eam ipsis mentem, seu voluntatis genium donavit, quo & malum, & bonum agere, omittere, & non agere possent (quod ad meriti humani hypothesim fuit necessarium) adeo tamen esset ad bene semper agendum propensus, ut neque ullis passionum stimulis, neque concupiscentia aliqua in malum alliceretur: genio in bonum tenderet, rationi cætera omnia perfectissime subiicerentur: in quo modo vivimus statum cum primitivo illo comparare vix possumus. Nihil in hac libertatis constitutione apparet malum: potentia agendi malum iis

con-

conditionibus temperata homines merendi capaces effecit, quod est bonum, quin ad malum essent aliqua ratione proclives, quod esset malum, aut mali alicujus effectus. Naturalis illa, qua modo premimur, ad malum proclivitas a libertatis constitutione non derivatur: a nostro libertatis abusu totum id descendit, defectui, vitioque nostro tribuendum. Et hinc patent sequentia: 1. libertatem ex genere suo esse bonum, quod quidem de creaturarum libertate etiam intelligo: libertas enim Dei perfectionis infinitatem ex se habet. 2. Bonum etiam, atque perfectionem esse illam libertatis speciem, quam primitus a Deo accepimus mortales. 3. Præsentis etiam status libertatem esse bonum, licet defectu aliquo, vitioque nostro temperetur. 4. Eam tamen præsentis status libertatem iis etiam defectibus temperatam, longe esse præferendam præsentis etiam status necessitati, si qua esset, dummodo omnia cætera sint paria. Hominem aliquem tibi statue nostra indole, atque moribus viventem, fatali insuper necessitate in communia humanitatis vitia labentem. Infelix sane hujusmodi homo neque bonum aliquod agere, neque se meliorem reddere, neque bene apud Deum, aut homines merere, neque præmio aliquo, laude, commendatione dignum se reddere posset. Hic tibi esse debet comparationis terminus: Si hominem hujusmodi iis moribus viventem, fatali mechanismo actum, & tamquam cogitantem machinam actiones suas peragentem mechanicæ necessitatis, & legis servile instrumentum homini cogitanti libero, suarum actionum domino, virtutem, laudem, perfectionem, meritum, gloriam, si liber velit, sibi ipsi proprio nomine comparandi capaci præferendum censeres; te tibi omnino relinquerem: tecum ipso solus ageres: circa communes, & ingenitas fere hominum ideas amplius non convenimus.

865. Opponit 6. *Collins*. Quo Deus & Angeli majori necessitate ad agendum bonum, judicandum, & agnoscendum verum præditi sunt, eo majorem etiam habent perfectionem. Similiter eo perfectius est, magisque æstimatur horologium, quo ponderum actionibus magis semper æquabiliter movetur, minusque potest a recto suo cursu disturbari. Quod si nullo modo posset æquabili motu non procedere; tum vero perfectissimum haberemus horologium: contra vero quo facilius

cilius æquabilis illius motus perturbari poteſt; majori vitio, atque imperfectione laborat. Quidni igitur idem plane de humana voluntate dicemus? quo homines magis ſunt ad bonum & malum agendum liberi, eo magis a perfectione removentur. Præterea vero intimæ ipſiuſmet libertatis notioni inſiſtendo, poſſe eligere minus bonum, & meliori præferre, eſt imperfectio: electio vero inter æqualia, ſi eſt poſſibilis, perfectio dici non poteſt: quocumque igitur modo humanam libertatem conſideres, atque ad bona æqualia, inæqualia, bonum, & malum referas; eamdem inter humanæ naturæ imperfectiones annumerare oportet.

866. Reſpondeo: Si totum hoc argumentum, ſeu potius argumentorum congeriem liberaliter darem, & humanam libertatem noſtræ hominum naturæ imperfectionem eſſe concederem; inde ne homines non eſſe liberos, humanam libertatem non exiſtere ſequeretur? Eſto, datum id a me parumper pone, quod humana libertas ſit imperfectio: inde ne ergo illam non exiſtere argumentaberis? quaſi ſcilicet nihil imperfectum fieri a Deo poſſit: quaſi creatura poſſit eſſe aliqua, quin ſit finita, limitata, imperfecta, & fere nihil, ſi cum infinita Entis a ſe perfectione comparetur: imperfectionis ratio ad rem negandam argumentum eſſe non poteſt. Quidquid eſt creatura, eſt res finita, fere nihil, atque imperfectiſſimum; ſi ad ſummam perfectionem referatur: in propria tamen creatarum rerum claſſe poſſunt eſſe perfectæ; ſi & debitam ſuo ordini perfectionem habeant, & ad proprium finem aſſequendum ſecundum ſupremi Numinis providentiam rite inſerviant. Neque Deus tenetur ad optimum, neque aliquid non finitum creare poteſt: utrumque fuit ſuperius demonſtratum: humanam igitur libertatem non eſſe optimam, in alia & alia rerum Providentia perfectiori, & perfectiori modo conſtitui poſſe homines liberos, id, inquam, libertatem non exiſtere non probat. Alia ad argumentum reſponſio ſuperfluit. Doctrinæ tamen gratia ulterius addo: Comparatio inter Deum, & homines ad rem præſentem non facit: neque fieri ſecundum ſanam philoſophiam poteſt. In omni & quacumque linea mortales omnes, creaturæ univerſæ infinito exceſſu a ſupremo Numine ſeperamur, finitam, limitatam, & imperfectiſſimam habemus naturam: exiſtimus tamen. Majorem tamen, in-

inquis, haberemus perfectionem, si bonum & rectum necessario semper ageremus. Sit istud, respondeo, per me parumper verum: ergo non existimus liberi? Nullam hanc esse argumentationem modo demonstravi. Sed ne meliores quidem, seu perfectiores in data illa hypothesi homines fore, si cætera sint paria, jam superius confeci.

867. Argumentum etiam ab Angelorum perfectione ductum neque ad rem nostram facit, neque verum existit. Ad rem esset, si imperfectiores creaturæ a Deo fieri non possent, aut si humanam libertatem ex perfectionis ratione probaremus, quorum utrumque est falsum. Sed neque verum est argumentum: estne scilicet Angelorum perfectio ab illorum necessitate agendi? Si ita res esset, æqualis utique in his omnibus spirituum ordinibus esset perfectio; ipsa etiam animantia bruta naturali semper necessitate agentia majorem, quam nos libertate præditi, perfectionem haberent. Neque ipsi, credo, fatalistæ absurdam hanc propositionem ab argumento recte deductam admittent. Ex aliis longe fontibus major angelorum perfectio derivatur: paria non sunt cætera angelorum, & hominum attributa, & naturarum veluti fundus. Tandem stante rerum æqualitate meliorem sane esse liberam, quam servilem hominum conditionem, superius ostendimus, & a nemine negari posse crediderim.

868. Comparatio horologii in medium adduci non deberet. Quisnam est illarum machinarum finis? tempus exacte dimetiri: quod igitur horologium minus ab illa mensura aberret; illud equidem erit ex hoc capite perfectius; licet in quamplurimis aliis a parum exacto horologio possit superari. In eum vero finem homines creavit Deus, ut & Deum cognoscerent, amarent, colerent, amando & colendo mererent, merendo ad gloriam admitterentur, eoque pacto ob merita amando & colendo comparata debitum acciperent præmium. Estne vero finis sine libertate? essene posset homo coronari a Deo dignus, quia fatali tantummodo necessitate tamquam automaton horologium ageret? poterisne in tanta hac notionum, sive idearum diversitate apta institui comparatio, atque duci a comparatione argumentum? Ad id tandem, quod ultimo loco additur, jam superius respondimus.

869. 7. Opponit *Collins*. Nisi homines necessario agerent;

rent; frustra pœnæ, supplicia, præmia iis ad agendum proponerentur: eo scilicet hæc omnia humanæ menti, & voluntati proponuntur, ut hominem ad recte agendum impellant, & physica necessitate inducant: nisi igitur humana hæc omnia media, a naturæ ipsius, & rationis lumine dictata, dicere velimus inutilia; homines liberos non esse dicamus. Respondeo: ex pœnarum, atque præmiorum consideratione, & constitutione validissimum pro asserenda libertate argumentum supra desumpsimus. Neque video, quid inde argumenti contra libertatem retorqueri possit. Pœnas enimvero, atque præmia perperam in libertatis hypothesi adhiberi negamus. Verum ad voluntatem compellendam, & necessitatem inducendam illa tantum inservire, precario asseris, & ab omnibus negatur. Eo præmia, atque supplicia decernuntur, ut libero homini rationabile & magni momenti argumentum, atque, ut dicitur, motivum ad bene operandum existant, quo quidem mente perpenso sese prudenter regat libera, & rationabilis voluntas. Ita enim a natura, seu a supremo Numine comparati sumus, ut & nostram amemus felicitatem, & ratione ducamur: pœnarum igitur & præmiorum propositio utile, rationabile, & prudens nobis est agendi motivum, quod voluntatem libere agentem, quin ejus meritum, & libertatem tollat, ad bene agendum persuadeat. Nisi ita res esset, sed pœnarum, & præmiorum propositio ad id unum inservirent, ut hominibus necessario alias agentibus ad recte operandum necessitatem inducerent: quid, amabo, de homine quocumque, de te ipso faciendum pronuntiabis, cum præmiorum, pœnarumque legibus tibi clare propositis, contra leges tamen agis? te ne vero pœna dignum existimabis, dum nullam ad alio modo operandum libertatem habuisti, dum opposita necessitate actus in legem commisisti? Fieri per te non potuit, inquis, quin facinus lege vetitum perpetrares; adversus terrentes leges major te in oppositum mechanica potentia traxit, cujus viribus obsistere nequaquam posses. Id tamen excusandi rationem tibi esse existimabis? si ita loquaris; & contra commune omnium hominum dictamen, & contra tuam ipsius conscientiam ageres. Tibi ne catenis, & fatali necessitate insuperabili in scelus tracto commissum facinus imputari? quid vero de peccatis occultis de

de intimis voluntatis actibus extra omnium humanarum legum provinciam positis dices ? (divinæ enim legis parum soliciti sunt fatalistæ.)

870. Opponit iterum *Collins* Divinam Præscientiam. Detur actus quicumque, quem liberum esse dicamus, actus v. g. eleemosynæ: meum illum eleemosynæ actum ab æterno agnovit Deus: divina illa futuri actus præscientia fuit ab æterno certissima: impossibile ergo fuit, eleemosynæ actum a me non poni: positio igitur actus fuit prorsus necessaria, cum necessaria omnino sit divinæ præscientiæ veritas: liberum ergo mihi non est, eleemosynam illam dare, aut negare. Si negare possem; divinam præscientiam reddere falsam possem. Enim vero si liber existo, si negare possum; fiat ergo hypothesis, me actu negare, cujus negandi potentiam, & libertatem habeo. Hæc sane hypothesis divinam præscientiam redderet falsam: illam ergo negandi actus est impossibilis: at concipi ne potest vera ad actum impossibilem potentia, vera libertas? Rursus: vel Deus meum eleemosynæ actum in mea voluntate, tamquam in effectus caussa præscit, vel potius in decreto suo videt: quocumque modo rem esse dicamus; necessaria sit oportet inter actum & decretum, seu voluntatem connexio, e quibus, & in quibus actum illum prævidet, & præscit Deus. Prævidendi scilicet fundamentum est connexio inter caussam & effectum existens: ut res ipsa per sese ostendit, & in naturalibus rebus videmus.

871. Respondeo: Peculiaris in Theologia instituitur de divina præscientia quæstio, quonam scilicet pacto cum creaturarum libertate æterna, & certissima Numinis præscientia componatur: & quidem ad evidentiam usque contra Fatalistas ostenditur, nihil oppositionis inter divinam rerum omnium præscientiam & humanam libertatem intervenire. Quin illam quæstionem pro dignitate disputemus, & lectorem longa & non necessaria digressione detineamus, ne quid philosopho alias necessarium desideretur, illa tantum capita attingemus, quæ & ratione naturali demonstrantur, & rem totam componunt. Deus infinita illa scientiæ comprehensione futura quæcumque prævidet, quia erunt; vicissim verum non est, quod erunt, quia prævidentur, seu præsciuntur: est dicere, præscientia Dei de effectu quocumque futuro in illum effectum non

agit,

agit, illius caussa non existit, rebus ipsis futuris tota est extrinseca: ut in humana etiam de futuris quibuscumque rebus prævisione evidentissime animadvertimus. Prævisio igitur effectus futuri effectui ipsi penitus extrinseca, nihil in rem illam agit, ejus caussa non est, prius ad illam ex genere suo requiritur, nihilque in futuri effectus productione aut existentiæ modo immutat. Prius intelligitur, rem esse futuram, quam intelligatur præsciri: quod in modo assertum recidit, res futuræ a Deo prævidentur, quia sunt futuræ: non tamen vicissim res futuræ aliquando erunt, quia prævidentur. Eo igitur modo, quo res aliquando erunt, ab æterno in mente divina prævidentur; quin ea prævisio in rerum ipsarum productionem, aut modum agat. A re autem nullo modo in effectum agente effectus ipse nihil prorsus accipit, ab illa non dependet, liber aut necessarius fieri ab illa non potest. Si liber aut necessarius a re illa fieret; rei ipsius actione fieret, verusque proinde esset rei ipsius effectus contra hypothesim.

872. Ut veritas hæc magis ad evidentiam constet; detur per te parumper caussæ liberæ hypothesis; humanæ voluntatis actus liberi in tempore ponantur; aliaque ex parte æternam in Deo agnoscamus universarum rerum, & liberi illius actus præscientiam. Jam vero quæro, ista rerum constitutio aliquidne repugnantiæ secum involvit? liberum posuimus effectum: æterna ne Dei præscientia caussæ atque effectui omnino extrinseca, illam actus libertatem tolleret? qui tamen; si nihil in caussam, & effectum agit? Si prævidet tantummodo quod erit ex suis caussis libere futurum, quin, ut futurum sit, efficiat; qui sane poterit intimum illius effectus modum mutare? Nulla res ab illo mutatur, a quo omnino non dependet; a quo nihil accipit, sed extrinsece tantum cognoscitur. Uno verbo, res non dicuntur, aut sunt futuræ, quia prævidentur; sed potius a Deo fuerunt prævisæ, quia sunt futuræ. Ex futuritione igitur effectus liberi consequitur ejusdem liberi effectus in Deo præscientia.

873. Inde vero est, quod impossibile quidem sit, divinam præscientiam fallere; actusque ille liber in mente divina ab æterno prævisus, necessario erit in tempore, necessitate tamen consequenti, non necessitate caussæ

seu antecedenti. Ex hypothesi quod humana anima libere in tempore amabit, eam ab æterno Deus libere amaturam cognoscit: ex illa igitur veritatis necessitate liberum actum aliquando futurum certo arguitur. Inde est secundo, quod æterna illa & certissima mei actus liberi præscientia actum quidem certo futurum indicet, nullam tamen aut in caussa necessitatem agendi, aut impotentiam ad oppositum demonstret. Oppositum actum perinde post præscientiam, atque ante illam elicere possum: nihil illa in me immutavit: oppositum tamen libere non eliciam: idque unum satis, ut & actus libertas, & præscientiæ certitudo conveniant. Si huc usque dicta intelligis; ne minimus quidem supererit in præsenti argumento scrupulus. Si plura velis, quæstionem de divina Præscientia in tractatu de scientia Dei luculenter disputatam passim invenias. Neque operæ pretium existimo, argumentum a præscientia petitum fusius prosequi. Qui sophismatibus, aut inutilibus aliis subtilitatibus enodandis tempus perdere amat; scholasticos auctores adeat. Quod ultimo loco proponitur, in quonam scilicet medio futuros actus liberos prævideat Deus, ad aliam spectat quæstionem a libertate diversam, citra quam demonstratur libertas: eam si placet, apud theologos de scientia Dei disputantes videas.

874. 8. Opponit *Collins*. Experientia ipsa libertati adeo non favet, ut nostrarum potius actionum necessitatem demonstret: quod enim melius nobis apparet, id semper necessario agimus, & perinde ut verius mente, ita & melius voluntate necessario semper complectimur. Præterea omnes humanæ actiones ad quatuor hæc capita reducuntur, *percipere*, *judicare*, *velle*, *agere*: in quorum neutro apparet libertas. Respondeo: Quid experientia in præsenti argumento probet, fuse superius exposuimus. Si quid experientia dedit; libertatem potius demonstrat, quam necessitati faveat. In id nos semper flecti, quod apparet melius, aut inter duo æqualia non posse eligere, neque verum est, neque experientia demonstrat, neque id etiam actionum necessitatem evinceret, etsi experientiæ casus esset. Primum luculenter confecimus: cum de Optimismo disseruimus. Tandem, quod tertio loco diximus, etsi melius apparens semper amplecteremur; non id

ta-

tamen amplectendi necessitatem probaret: constans scilicet actuum series ad oppositos actus impotentiam non satis demonstrat. Sed ut argumentum ab experientia desumptum absolvamus, & quidquid ea probet, totum libertati favere demonstrem; duo hæc adstruo: 1. Nostrarum humanarum actionum externa veluti facie animadversa, quo tantum universale hominum vulgus pertingit, illæ proculdubio apparent liberæ: experientia ad eum usque terminum deducta, atque spectata libertatem demonstrat, atque libertatis quæstionem & veritatem communi hominum societati decidit: Et hoc *primum*. Facti res est, cuius veritatis testes appello communem hominum sensum, & fatalistarum etiam fidem. *Secundum*: quod si penitissimam nostrorum actuum analysim expendamus, ut superius instituimus, & ad ultimam illam rationem, seu motivum humanam voluntatem flectens perveniamus, a quo voluntarie quidem nos flecti concedas, & necessitate etiam trahi contendas; necessaria hæc, atque fatalis actio res experientiæ non est. Præterea huic ultimo capiti insistendo, ita pro libertate ab experientia argumentum deduces. Humanæ actiones nobis intimæ & conscientia nostra notæ ita nobis experientibus, & rem ipsam introspicientibus fieri, & esse apparent, ut fieri atque esse apparerent, si reapse essent liberæ. Id ego ut facti veritatem pono: una ergo ad summum manet possibilitas in contrarium, quantum ad experientiam spectat: ut sola etiam contra existentiæ corporum, & aspectabilis mundi experientiam sola oppositi possibilitas superest: quemadmodum igitur secundum omnes sanæ mentis philosophos possibilitas illa non obstat, quominus corporum mundique existentia ab experientia & sensu satis probata esse non existimetur; pari sane ratione opposita illa possibilitas apparens in caussa esse non debet, quominus libertas secundum sensum & experientiam esse non dicatur.

875. Contra libertatem sequentia etiam opponunt *Voltaire*, & alii diistæ. 1. Omnes humanæ voluntatis actiones a caussa extrinseca producuntur. Omnis nostræ voluntatis actio est illius motivi necessarius effectus, quod vehementius in nos agit. Essemus liberi, si absque ullo motivo, seu ratione anima nostra vellet, atque eligert; aut omnem motivorum actionem

impediret, & nihilominus ageret (a). 2. Cogitationes, omnesque earum modi, inter quos volitiones recensent, materiæ affectiones existunt. 3. Indifferentiam atque agendi libertatem percipere seu animadvertere omnino non possumus; caussas enim ultimas insensibiles, a quibus nostræ voluntatis actiones pendeant, non attingimus. Perinde agimus, volumus, nolumus, inquit *Leibnits*, atque si acus magnetica pro libito ad arcticum polum semper verteretur. Sese enimvero libere omnino, & citra ullam a quacumque caussa externa dependentiam eum motum agere existimaret. 4. Si homines libertatem habemus; cur nostrammet indolem non mutamus, & in melius non convertimus? quis hominum est, qui ad id jam devenerit, aut devenire posse existimet? 5. naturale hoc rerum systema constantibus, atque necessariis legibus regi animadvertimus; quid tamen ab hac universali lege uni excipeiemur mortales, ipsiusmet universitatis partes? Si liberi sumus; quare constantes illas leges non invertimus? 6. Quare sola hæc animantium species, nos scilicet mortales a necessitate, lege omnibus animantibus communi excipimur? 7. Jurene dicere possumus absurdum, ab hominibus scelestis in hypothesi necessitatis pœnas sumere; maioremque non esse in opposita libertatis hypothesi absurditatem? Etenim si scelerati hominis voluntas libera est; fieri sane potest, ut neque præmiorum, neque pœnarum aspectu corrigatur: contra vero si physicæ tantum caussæ agunt; efficacius illæ perversam voluntatem a malo perpetrando avertent. 8. Ut animam humanam dicamus liberam; quid anima ipsa sit, prius agnoscere opus esset: quis autem hominum est, qui id sese scire jactari possit? (b)

876. Hæc

(a) Ita arguit auctor libri systeme de la nature. Vol. 1. pag. 196. Helvetius l'Esprit. Discours premier chap. 4.

(b) Hæc Domini *Voltaire* in humanam libertatem argumenta sunt. Quam exigui momenti illa sint, vel ipse *Rousseau* argumento erit, quem excipere Fatalistæ, & Diistæ nequaquam possunt. La nature commande a tout animal, & la bete obeit. L'homme eprouve

876. Hæc ego leviſſima argumenta, jocante ſolum philoſopho digna, in medium ideo adduxi, ut miſeram tot hominum ingenio alias valentium ſortem, & voluntatis indolem deploremus. Quid tandem exiſtimus mortales? quo tandem ducere hominem poſſunt humani animi paſſiones, corrupta indoles, male contracti habitus, & ruinoſæ ſenſuum illecebræ, atque indulgentiæ! quantum hæc naturam deprimunt humanam! Luminoſis adeo argumentis præcipuum hoc & philoſophiæ, & religionis dogma demonſtrantibus oculos & mentem occludere, vaniſſimas undique ratiunculas, & conjecturas corradere, ut ſeſe tandem ad miſeram cogitantis machinæ, & animantium brutorum conditionem depriment! quæ modo propoſui fataliſtarum argumenta, ſeria & luculenta reſponſione digna non exiſtunt. *Primum* & precario dicitur, & falſum eſſe in ſuperioribus fuit demonſtratum. Humanæ voluntatis actiones ob extrinſecum finem, ſeu motivum ab intrinſeca animæ virtute, tamquam a vera cauſſa phyſica eliciuntur. Neque ſemper agimus, quod eſt melius: neque motivum tamquam vis mechanica voluntatem trahit. Velle, aut nolle ſine ullo motivo, ſi id eſſet poſſibile, voluntatem efficeret non quidem liberam, ſed cæcam, temerariam, irrationabilem. *Secundum* eſt pura materialiſmi aſſertio, & precaria ſuppoſitio: quem errorem luculenter in ſuperioribus rejecimus. *Tertium* eſt illud experientiæ argumentum, quod fuſe ſupra expoſuimus; ex illo quidem propoſitionem noſtram non probavimus; id tamen confecimus, quod ſi partem aliquam experientia probat, libertati potius, quam neceſſitati ſuffragatur. *Quartum*: Humana libertas, & vires neceſſariæ, vel liberæ non ad omnia ſeſe extendunt, non omnia poſſunt: ſui ſunt cuicumque cauſſæ ſtatuti fines. Bonorum etiam actuum repetitione naturalis ſæpe hominis indoles in melius mutatur. In his ulterius immorari, eſſet joco-

uve la meme impreſſion: mais il ſe reconnoit libre d'acquieſcer ou de reſiſter: c'eſt ſur tout dans la conſcience de cette liberté, que ſe montre la ſpiritualité de ſon ame: Hæc quidem *Rouſſeau* diſcours ſur l'inegualité des hommes, pag. 19. I. partis.

jocosum argumentum, tamquam rem seriam, tractare. *Quintum* & *Sextum* impenetrabilia Divinæ Providentiæ consilia impetit: illa prescrutari, Deo legem dicere per summam temeritatem, & ignorantiam audet, & contendit. Rem esse propter hunc vel alium finem, hac vel alia lege gubernari & statui, quæstiones sunt valde inter se diversæ, quarum alteram sine altera definire possumus; quin unius obscuritas fallitatis argumentum in alteram esse possit. *Septimum* superius fuit discussum: mirumque est, ab eo capite in humanam libertatem argumentum a fatalistis peti. Si superius dicta iterum legas, una mecum id etiam demiraberis. *Octavum* tandem in omnibus rebus fallit. Si rerum proprietates, affectiones, vires modo scire non possemus, nisi prius quid res ipsæ sint, agnosceremus; neque *Voltaire*, neque ullus mortalium aliquid in rebus scire possent: Rerum enim essentias, hoc est, quid res ipsæ sint, in præsenti vita ignoramus. Quænam sit corporum natura: una nobiscum ignorat *Voltaire*: patienter tamen ille non feret, si quis eum nihil de rebus physicis scire contenderet. Ad rem nostram, humanæ animæ essentia, agendi modus diversæ sunt quæstiones, quæ seorsim definiri possunt, & reapse in scientiis definiuntur.

§.

Fatalistarum alia argumenta.

877. Omnis caussa sufficiens, opponit *Hobbes*, debet esse necessaria: si enim effectum non producit, aliquid ad producendum deest: ergo amplius non esset caussa sufficiens. 2. cum nihil a se ipso principium ducat; ab externo agente debet esse: cum igitur homo vult, quod antea non volebat, caussa hujus volitionis non est voluntas, sed a voluntate distinguitur, & non est in arbitrio voluntatis: actio igitur voluntatis non est voluntati libera. Resp. Primum argumentum est pura petitio principii. Ad secundum jam superius facimus satis; id enim argumentum ex *Hobbes* desumpsit *Voltaire*.

878. At, opponit *Helvetius* (a), claram ideam liber-

(a) L'Esprit discours I. chap. 4.

bertatis non habemus, cum illam voluntati applicamus: aliudque hoc nomine intelligere non possumus, nisi potentiam liberam volendi, aut non volendi rem aliquam: at hæc potentia supponit voluntatem, seu actum sine motivo, hoc est, effectum sine caussa. 2. si esset libertas; sequeretur, posse nos nobis bonum, & malum æque velle: quod est impossibile. 3. Amor delectationis est primum omnium nostrarum actionum principium: si ergo omnes homines versus felicitatem veram aut apparentem tendunt, & ducuntur; omnis nostræ voluntatis actus est illius amoris effectus. Hisce vero positis, quid nomine libertatis significetur; penitus ignoramus. Homo felicitatis amore ductus illud semper eliget, unde major illi felicitas deprehenditur. 4. Libertatis problema philosophice explicari non potest: omnes enim nostræ cogitationes, & voluntatis actus sunt necessarii illarum impressionum effectus, quas ab objectis externis accipimus.

879. Sequentia etiam adversus libertatem opponunt duo celebres materialistæ *Helvetius* (*a*) & auctor libri *Le systeme de la nature* (*b*). 5. Ut homo esset liber, omnes totius naturæ vires superare opus esset, a qua singulæ caussæ in illius sinu comprehensæ ad agendum, & generalem actionem componendum adiguntur. Oporteret etiam, ut in hominis gratiam omnia entia naturam mutarent, homoque ipse non amplius esset sensibilis, neque bonum, neque malum, neque dolorem, neque voluptatem perciperet. 6. Humana voluntas, hoc est, inquiunt, cerebrum est purum instrumentum passivum: non agit, sed agitur ab externorum objectorum impressionibus. Sed esto, inquiunt, sua sit animæ activitas: hæc tamen vis agendi numquam explicabitur, & aget, nisi ab externo motivo excitetur: in caussam igitur physicam, & necessariam, in actionem motivi res tota resolvitur. 7. Ad quid enim vero leges, pœnæ, supplicia, educatio, religio, nisi ut voluntatem ad bonum agendum trahant, a malo necessario retrahant? externa igitur illa in voluntatem agunt, eamque compellunt. 8. Ex malo morali, & illius imputatione libertatem perperam demon-

(a) Sur l'home.

(b) Qui tamen morti proximus palinodiam cantasse dicitur.

monstramus. Actionem homini imputamus, cum illi eamdem tamquam auctori referimus: satis ergo est, hominem datæ actionis, v. g. homicidii esse auctorem, etsi id necessitate commiserit, ut illud merito imputetur. 9. Sublata etiam libertate meriti, & demeriti, boni, & mali, justi, & injusti ratio constat: actionis meritum aut demeritum ab ejus effectibus derivantur, a damno scilicet, aut beneficio in societatem, aut privatos homines ab illa actione derivatis. Hinc bene aut male de republica mereri dicuntur, qui illam sustinent, aut labefactant. Qui actiones societati, aut aliis hominibus utiles agit, bene juste, & merito agit: contra vero qui agendo nocet. 10. Neque etiam in fatalitatis systemate ulla est injustitia legum, ex quo capite aliud pro libertate deduximus argumentum. Eo enim statuuntur leges, ut & societatem tueantur, & alter alteri damnum non inferat: juste igitur in eos pœnas decernunt, qui vel societatem turbat, aut ejus individuis nocet: etsi necessario ejusmodi damnum inferatur. 11. Conscientiæ etiam stimuli, quibus ut plurimum circa proprias actiones agitantur homines, non ex libertate, aut malo aliquo morali derivantur, illave demonstrant. Conscientiæ stimuli sunt interni doloris, aut timoris sensus ob mala præsentia, aut prævisa ex actionibus nostris derivantia. Si actiones nobis semper laudi, aut beneficio erunt, & ita esse, aut fore prævidentur: nulli ab iis conscientiæ stimuli: contra vero si ob patratas actiones aliquid nomini, fortunis, vitæve nostræ timemus, aut jam experimur. Homo inter corruptissimos homines, latro inter latrones vivens nullis conscientiæ stimulis agitantur. 12. Male etiam fatalismum ex eo exploditur, & libertas adstruitur, quod fatali rerum necessitate posita, de nihilo curandum nobis sit, nosque quibuscumque rerum casibus insensibiles prorsus esse oportere. Quasi scilicet per nos staret, quod sensibiles existamus. Ita nos comparavit natura. Sensus, indolesque nostra naturæ effectus sunt, educatione confirmati. Mortem quidem & mei ipsius, & meorum esse scio conditionem necessariam: nihilominus ob amici, filii, sponsæ obitum affligor. Ignem ex natura sua necessario incendere agnosco; incendium tamen excitari, aut excitatum dilatari qua potero vi & ope impediam.

880. Re-

880. Respond. Ad 1. argumentum Helvetii. Libertatis ideam nobis esse claram, & voluntatem sine motivo non agere, satis hucusque exposuimus, & confecimus: neque id in argumentum citra rationem adduci deberet.

881. Ad secundum. Libertatis indoles non est, malum in ratione mali amare, bonum in ratione boni odio habere: sed datum bonum eligere, aut non eligere, inter diversa bona opposita unum præ altero prosequi &c.

882. Ad tertium. Prætermisso in Ethicam, amorem voluptatis esse nec ne omnium nostrarum actionum principium, certum est, ita nos felicitatem & bonum quærere, & prosequi, ut externa bona non nisi moraliter nos moveant, ut unica caussa physica nostrorum voluntatis actuum sit anima nostra, atque eligendi, aut non eligendi domini plane existamus. Argumentum supponit optimismum: ex quo etiam capite falsum apparet.

883. Ad quartum. Humanam voluntatem, hoc est, spiritum active non agere, ab objectis tantum externis, seu a corporibus pati, & eorum tantum impressionibus necessario duci, familiaris fatalistarum cantilena citra ullum fundamentum asseritur, notis humani spiritus viribus, & agendi seu motuum principio superius demonstrato opponitur, falsum existit. Fuse hæc omnia in superioribus disputavimus.

884. Ad quintum. Capita omnia pro argumento adducta fallunt. Liber equidem est homo, bonum tamen, & malum percipit, voluptate & dolore afficitur, objecta sentit: neque illius gratia essentiam mutant caussæ, neque opus est, ut homo ipse integras naturæ vires superet. Argumentum in petitionem principii reducitur. Integrum rerum, & caussarum systema fatali virium catenatione ductum supponitis: id vero est ipsissima quæstio, aut necessaria illius appendix. Totam naturam in hominis voluntatem fatali catenatione agere contenditis: purum fatalismum. Probate, de re ipsa agitur.

885. Ad Sextum. Sæpius jam in superioribus respondimus, cum optimismum, libertatis notionem, & modum agendi voluntatis exposuimus. Vide etiam quæ in sequenti quæstione dicemus.

886. Ad septimum. Leges quidem, pœnæ, supplicia eo

eo decernuntur, ut hominem instruant, a malo retrahant, ad bonum moveant: hæc tamen morali tantum actione in homine libero, suarum actionum domino, & physico illarum principio agunt.

887. Ad octavum. Ad actionis imputationem opus est, ut cui imputatur, illius auctor, aut ratio sit, vi nomineque suo agat, actionisque peragendæ liber existat dominus. Si proprie loquamur; solæ caussæ liberæ sunt rigorosæ caussæ, & proprie agunt: vi enim, nomineque suo agunt, veri actionis auctores, atque ratio, illius ponendæ, aut omittendæ arbitræ. Caussæ necessariæ aguntur magis, quam agant: suntque potius activa necessitatis, seu externi auctoris instrumenta, quam caussæ. Furiosone homini, mente capto homicidium patranti id facinus imputabis, aut leges ipsæ imputant? In lapidem gravitate sua cadentem, in ignem totam domum absumentem mortis, aut incendii culpam referes? Sunt tamen illæ eorum effectuum physicæ caussæ, & auctores.

888. Ad nonum. Meritum, & demeritum non ex sola utilitate aut damno actionis, sed præcipue ex libertate, & intentione agentis derivatur, & definitur. Largissimo imbri e celo pluenti & excitatum incendium extinguenti gratias non agis. Bene forsan de te meretur, qui te occidendi animo sclopetum in cor tuum displodit, accidit tamen, ut glans plumbea aliquantulum aberrans latentem lethalem vomicam ruperit, teque ab imminenti morte liberavit? In lapidem ex alto labentem, & nos casu prætereuntes ferientem irasceris?

889. Ad decimum. Satis jam in superioribus volvimus, quæ in hoc argumento reperiuntur. Furiosus, mentis inops homicidium patrans, incendium parans maxima damna societati, ejusque individuis inferunt: nihil tamen in illos decernunt leges. In machinas ne fatali necessitate agentes supplicia decernes?

890. Ad undecimum. Si ita res esset; scelerati homines de occultis criminibus nullo conscientiæ stimulo agitarentur: quod tamen est communi experientiæ oppositum. In ipsa latronum societate nullus est, qui honestis moribus hominem se haberi, & esse non optet. Ob facinus societati maxime noxium a furioso, aut alio quocumque necessario agente patratum nullus conscientiæ stimulus auctorem vexat: si igitur pari neces-

necessitate sceleratus quicumque ageret, æqua etiam pace civium fortunis, & vitæ insidiaretur.

891. Ad duodecimum. Sensibiles quidem nos comparavit natura, & de proximorum morte aliisque malis naturali necessitate evenientibus affligimur. Culpæne tamen amicis morientibus vertimus, quod moriantur? Ob domus incendium, aquarum alluvionem, & mille alia physica mala naturali rerum lege peracta in ignemve, aut aquas, physicam eorum malorum necessariam caussam irascimur, in eaque sententiam ferimus? En totius rei summam, & comparationis caput. De hisce quidem rebus merito affligimur, cum fiunt; ne fiant, curare debemus: id tamen in systemate libertatis, communi hominum sententia confirmato locum habet: in fatalismi hypothesi vana prorsus esset hujusmodi hominum cura, solicitudo, sensus.

§.

Ratio, modus, & caussa, quæ voluntatem ad agendum statuit.

892. Postremum hoc est, quod superius circa humanam voluntatem disputandum proposuimus. Mens nostra diversa objecta, & actiones, bona & mala cognoscit, & circa hujusmodi objecta sese veluti illuminat. Antequam objecta in mente repræsententur; neque velle, neque etiam nolle objecta illa animus noster potest. Post cognitum a mente bonum, ad illud amplectendum, aut non amplectendum ducitur voluntas: quidnam ergo illud est, quod voluntatem ad objectum mente repræsentatum amore, aut odio prosequendum movet, quisnam illam movendi modus & ratio? Tria tum in anima sunt & apparent præsentia, objecti cogniti bonitas, seu cognitio ipsa, seu lumen bonitatem objecti repræsentans, intrinseca animæ virtus: *objectum, cognitio, voluntas*. Aliquod ex his tribus voluntatem flectat opus est. Animam nostram ad bonum sibi mente propositum amplectendum, aut non amplectendum indifferentem esse, huc usque demonstravimus: deliberatur tandem: quænam deliberationis ratio sufficiens existit? quid indifferentem voluntatem deliberat, indifferentiam tollit? Antequam mentem meam aperiam, notatum a lectore velim, philosophum me,

aut

aut theologum naturalem tantummodo agere: de supernaturalibus voluntatis actibus, & principio eorum actuum, quod est ipsamet gratia, impræsentiarum non disputo: theologicam controversiam cum Pelagianis, aut Semipelagianis non instituo: sed quæstionem philosophicam ex humanæ libertatis consideratione & dogmate descendentem agito.

PROPOSITIO XXVI.

893. *Ultima ratio, & caussa physica deliberationis voluntatis, est activa ipsius voluntatis virtus, & illud mentis lumen, quo objectum repræsentat: est dicere; motivum seu objecti bonitas non est quod ultimo deliberat voluntatem, sed ipsamet voluntas est quæ se ex motivo deliberat.*

Propositionem secundum ordinarium humanorum actuum modum & rationem intelligo. 2. De actibus liberis tantum loquor: quod necessarios spectat, ii sane actus humani non sunt, ad quos ex sese deliberetur voluntas: sed ex physica lege constitutione & indole cum animæ ipsius, tum etiam corporis, & objectorum per sensuum organa agentium profluunt. De præsenti etiam humanarum actionum modo, & communi agendi ratione loquor: in statu separationis animarum a corpore, in cælis eodem plane modo atque in mortali hac vita ad actus suos voluntatem deliberari, neque objectorum bonitatem ita posse repræsentari, ut ipsa per sese humanam voluntatem flectat, id ego neque inficior, neque disputo: quid de præsenti re nostra existimem, pronuntio, alia omitto.

894. Ut clarior res sit, tria illa jam recensita iterum animadvertamus, objecti seu exercendi actus bonitatem, mentis lumen seu judicium bonitatem illam repræsentans, voluntatem propositum objectum amplectentem aut fugientem, hoc est, reapse agentem. Voluntatem ad actum exercendum indifferentem posuimus: amat tandem: quidnam illam ex se liberam & hucusque indifferentem deliberavit? Idne agit judicium, an motivum, an potius activa voluntatis efficacia? Cum caussam hujusmodi quærimus, physicam intelligimus: quod modo datum objectum amem; quod antea liber non amabam, aliquid physicum existit: quæ-

quænam me liberum caussa physica ad physicum illum effectum deliberavit? Habes quæstionis sensum paucis indicatum: quam ut resolvam; sequentia prius statuo, seu potius pono apud omnes certa.

895. Statuo 1. Nullum a voluntate actum elici, quin ad eliciendum ratione aliqua, fide, seu motivo alliciatur. Conscientiæ nostræ testimonium rei veritatem demonstrat. Rationalia entia existimus, rationali modo agimus, ratione ducimur: cum aliquid nobis agendum proponimus, rem nunquam aggredimur, aut aggrediendam decernimus, quin & decernendi, & aggrediendi motivum aliquod nobis suppetat, quod voluntatem alliciat, deliberationisque ratio sufficiens existat. Enim vero rationalis potentiæ & caussæ est, agere propter finem, a quo ad agendum moveatur: in eoque potissimum rationales caussæ a mechanicis distinguuntur, quod ratione aliqua ducantur primæ: contra vero mechanicæ caussæ physica virtute, & necessitate agunt, quin cognoscant, aut ratione ducantur. Totum earum agere est physicum: licetque earum actiones finem aliquem habeant; is tamen actionum, non caussarum finis est: ad eum quidem finem agunt, ex eo tamen fine non ducuntur: ad eum finem præstitutæ illæ sunt a Deo, non illæ sese propria electione statuunt. Uno verbo, ratione sese non ducunt, neque moventur: finis tamen est, quem iis caussarum actionibus assequendum velit Deus.

896. 2. Bonum illud, ex quo ad agendum humana voluntas libera movetur, debet ab illa esse cognitum. Ea iterum est humanæ voluntatis, rationabilis caussæ indoles clarissimo conscientiæ lumine & testimonio nota: id iterum rationabilis caussæ a mechanica discrimen. Circa caussas rationales, illas vero potissimum, quæ libere agunt, notissimum illud proloquium locum habet, *non entium, & non apparentium eadem est ratio:* sine ratione, seu rationabili aliquo fine humanas actiones non agimus: quamdiu rationabile illud motivum non cognoscitur, humanæ voluntati motivum esse non potest. Rei per se certæ, a nemine in dubium vocatæ, & intima conscientia demonstratæ expositio sufficiat, & demonstrationis loco haberi potest.

897. Certum mihi est *primo*, vividum rationis lumen humanam voluntatem sæpe ad amorem aut ad

odium

odium flectere, & physicam voluntati necessitatem inducere. Id clarissime ex data superius nostræ animæ actuum analysi consequitur. Mentis cognitiones in actibus quibuidam spiritualibus radiationibus, & modificationibus constituimus: ex vivida spiritualis luminis radiatione alia in anima affectio physice consequi potest, quæ sit voluntatis actus. Ita sane, ut rudissimo atque materiali exemplo rem spiritualem, & subtilissimam adumbremus, ex vivida illa materiæ modificatione, quæ lumen materiale constituit, illa alia in eadem materia consequitur, quæ caloris, aut ignis status nuncupatur. Anima igitur vividissimo lumine obiectum percipiens ab eademradiatione, seu spirituali modificatione ad illam ducitur. Atque hic Beatorum spirituum casus est: clarissima, atque vividissima Dei cognitio a supernaturali lumine excitata animam ad intensissimum amorem necessitate trahit. Hac etiam ratione in mortali hac vita obiectum sæpissime amamus, odio habemus, in actus amoris aut odii eliciendos trahimur; cum obiectum vivide adeo bonum aut malum repræsentatur, ut illud necessario amemus, aut odio habeamus. Uno verbo, actus amoris aut odii humanæ voluntatis, qui ex ratione sua liberi esse deberent, ex vivacitate luminis, seu cognitionis, qua mens sese veluti in objecta explicat, evadunt necessarii. In hac propositione probanda ulterius non immoror; propterea quod ex analysi superius proposita evidenter illa descendat.

898. Hisce omnibus præmissis quæ quidem vera sunt, & licet propositionis casum non contineant, non modicam tamen illi lucem affundunt; quæritur modo in liberæ actionis hypothesi, quodnam ex tribus illis relatis principiis, quæ liberam actionem præcedere intelliguntur, ejusdemmet actionis ultima physica deliberatio existit? Neque motivum, neque mentis lumen, seu judicium voluntatem ultimo ad agendum deliberare dico. Quod primum attinet: Motivum seu bonum illud obiectum, quod actionis finem mihi statuo, non physice adhuc, sed mente solum existit; quod physicum non est, effectus etiam physici caussa physica esse nequit. Quod ego me ad actum bonum eligendum, atque eliciendum deliberem, & statuam, aliquid est physicum: existens igitur debet habere principium. Futuræ actionis bonitas, bonum illud honestum, quod agendi finem mihi statuo, sola mente conci-

cipi-

citur, nondum exiftit, & fi quando etiam exiftit, a me ut plurimum eft remotum: quid igitur? a caufa non exiftente, a caufa non præfente phyficum effectum effe, & produci, lumini rationis opponitur: humanorum igitur actuum finis, bonum aut malum mente cognitum liberam voluntatem phyfice non deliberat. 2. utraque etiam pars ex fecundo hoc capite evincitur: cum objecti honeftatem, & actionis ponendæ bonitatem cognofcimus, vel libera ad actionem ponendum exiftit voluntas, vel potius cum cognitione objecti numquam conjungitur indifferentia voluntatis: nihil eft inter utramque dilemmatis partem medium. Si primum; rem confecimus: objecti honeftate, & mentis cognitione jam pofitis, adhuc voluntas eft indifferens: quod igitur hæc indifferentia tollatur, & ad unum præ alio deliberetur voluntas, ab iis duobus principiis non eft. Si fecundum diceretur; tum vero nulla amplius effet humana libertas, & voluntatis indifferentia: antequam enim objectum cognofcat, agere non poteft; poftquam illud mente cognovit, nullam jam habet ad omittendum, aut ad oppofitum actum ponendum indifferentiam: nullus igitur libertatis, feu activæ indifferentiæ cafus effe poteft: effet tum vero libertas?

899. 3. Si mentis lumen, judicium, feu dictamen, quodcumque tamen illud fit, voluntatem neceffario flectit; aut nulla omnino eft libertas, aut inutiliter prorfus hæc inter nos agitatur quæftio, & de nomine tantum difputamus. Ut primum conftet, actum illum animæ quæramus, qui liber nuncupetur, atque exiftat. Actum voluntatis a mentis lumine bonum v. g. repræfentante neceffario confequi dicis: lumen illud mentis ad datam in cerebro motionem ex indole mentis neceffario irradiat, & fulgurat: excitatio illa materialis in cerebro, aut in aliquo alio fenfuum organo facta, neque eft actus animæ, neque etiam eft liber, fed materiale aliquid & pure mechanicum exiftit. Hæc fane eft animæ noftræ actuum feries, cum objectum aliquod primo volumus: excitatur organum, mens cognofcit, voluntas amat: imprimitur affectio; elicitur feu explicatur mentis lumen; poft explicatum lumen amor elicitur: ubinam, amabo, exiftit libertas? Primum eft pure mechanicum, ab anima noftra non pendet: tertium neceffaria per te ponitur a men-

tis lumine consecutio: unum superest secundum. Si ergo aliqua in nobis est libertas; tota illa est intellectus seu judicii libertas, atque indifferentia. Ita sane, respondent. Bene est: judicii ergo nostri voluntatem præcedentis analysim instituamus: ex ea sane analysi secundum illud in dilemmate positum, inutilem scilicet a nobis quæstionem excitari, manifeste apparebit.

900. Ad mechanicam excitationem in cerebro prima in mente boni cognitio explicatur: prima hæc cognitio quæ *theorica* nuncupatur, necessaria ab omnibus statuitur: post primum hoc mentis lumen alium anima elicit actum, atque judicium sibi efformat, lumen a lumine explicat, quo scilicet objectum illud priori jam actu cognitum, bonum sibi esse, atque amplectendum pronuntiatur: quem quidem actum *judicium practicum* communiter appellant. Ab extremo hoc mentis actu voluntas, inquiunt, ad agendum movetur, & flectitur: in eo uno animæ actu eliciendo, & efformando humana libertas consistit. Bene est: in hujusmodi judicio vel unum est *percipere*, vel duo insimul hæc percipere bonum, & illud sibi agendum esse statuere. Si hoc secundum admittas; illud judicium ex aliquo jam voluntatis actu componitur, atque idcirco post tot verborum atque idearum ambages in id semper devenimus, ut humanam libertatem, & activam indifferentiam voluntati nostræ vindicemus. Si unum in judicio *percipere* agnoscas, & statuas, id quod res est, atque ab omnibus statuitur; tum vero nihil nisi necessarium admittis, libertatem omnino tollimus. Perceptio illa, seu lumen, quo objectorum veritatem, convenientiam, aut falsitatem intelligimus, ad quasdam mentis excitationes per sensus in cerebro factas necessario in anima elicitur, irradiat, explicatur: aut igitur nullam habemus libertatem, aut tota quæstio in inanem disputationem redigitur.

901. 4. Sed ut omnia hæc paucis colligamus, & quæstionem, nisi fallor, breviter definiamus, ita ego argumentum instituo: Eleemosynam dare honestum bonum esse percipio: purum hujusmodi judicium, quod theoricum dicitur, est purus mentis actus omnium confessione necessarius, ex clara idearum connexione necessario consecutus. Si hoc unum mentis judicium satis est, ut eleemosynam facere velimus, & ad id rei deliberemur; una sane voluntas est, quæ sese active, & libe-

libere deliberet. Jam vero unum illud sufficere in mente judicium, adeo clarum mihi est, ut de illo dubitare vix possim. Partium studia deponamus, homines, qui hanc scholarum quæstionem parum curent, aut numquam etiam audiverint, consulamus: ab iis rem totam secundum sensum nostrum judicandam fore non dubito. Unde enim alia in mente judicia ante voluntatis actum elici probabitur? Posito illo mentis actu humana voluntas in incognitum non fertur; quid rei sit eleemosyna, agnovimus: illam in præsentibus circumstantiis dare, rem esse honestam videmus: neque igitur in ignotum fertur, neque prudentiæ dictamen desideratur: nihil aliud ad prudentem electionem opus esse ex rei visceribus video.

902. 5. Judicium illud theoricum, seu mentis lumen, quo mihi objectum aliquod bonum esse repræsento, humanam voluntatem per adversæ etiam sententiæ fautores ad absolutum objecti amorem non deliberat, sed potius post ejusmodi in mente lumen libera adhuc remanet ad amandum aut non amandum voluntas. Eadem igitur ratione de alio mentis lumine, seu judicio, quod practicum nuncupatur, est omnino philosophandum: eadem scilicet est utriusque cognitionis ratio: ut prima objectum absolute bonum repræsentat, ita secunda idem in datis circumstantiis exhibet: si ergo ex primo illo generali lumine ad generalem etiam amorem non movetur voluntas, unde id specialis luminis ad specialem alium amorem efficaciæ adstruetur? 6. communis etiam sensus, & non obscura conscientia rem conficere videtur. Agimus enim vero, quia volumus, non quia intelligimus: quoties enim illud in nobis animadvertimus, & deprehendimus, *video meliora proboque, deteriora sequor*? cujus sane sententiæ sensus ad practicum judicium spectat. Quid melius mihi in datis circumstantiis agendum esset, intelligo, de meliori bono dictamen, seu judicium mihi efformo, deterius tamen eligo: contra omne rationis dictamen sæpe peccamus: igitur rationis dictamina humanam voluntatem non deliberant, & ultimo flectunt: libere nos ad oppositam partem flectimur. 7. Tandem liberi proculdubio existimus, nostraque hominum libertas in illo mentis actu non consistit, quem indifferens judicium appellant: quo scilicet objectum aliquod bonum, aut malum esse absolu-

te judicamus; quin in datis circumſtantiis illud nobis bonum eſſe ſtatuamus: duo hæc ex utraque parte admittuntur. Id igitur ſupereſt, ut vel in mentis dictamine, & practico, ut dicitur, judicio efformando, vel in actione poſt efformatum dictamen eligenda, & exercenda liberi exiſtamus. Libertatem in primo, neceſſitatem in ſecundo ii ſtatuunt, quibuſcum modo diſputavimus: mentis dictamen eſt liberum: libere illud nobis efformamus: operatio ſecundum dictamen neceſſaria: poſt efformatum dictamen libera amplius non eſt humana voluntas. Bene eſt: illa dictaminis comparatio duobus aut tribus hiſce conſtat, pura agendæ actionis cognitione, examine, ſententia: res intelligitur, examinatur, decernitur. Illud primum, purum intelligere non eſt liberum; id quod a nemine in dubium vertitur: duo alia ſequentibus actibus comprehenduntur, & conſtant, rem agendam intelligere, aſſenſum parumper cohibere, mentem ad alia & alia objecta, & præſentes circumſtantias conſiderandum flectere: ab ulteriori tandem rerum perpenſione abſtinere, & ſententiam, ſeu quid tibi agendum ſit, ſtatuere. Animum tuum, cum prudenter agis, conſidera: hanc illius analyſim eſſe comperies. Jam vero primum illud, ut dixi, non eſt liberum: reliqua omnia voluntatis munera exiſtunt: quacumque igitur ex parte rem examinemus, in id ſemper devenimus, ut libertatem non quidem intellectui, aut ejus actibus, ſed voluntati tantummodo vindicemus. Quæ cum ita ſint, cum eumdem fere ſenſum in rei fundo nobiſcum teneant; citra pulverem tota hæc ſcholaſtica quæſtio decidi poſſe videtur. Neque enim modo cum optimiſtis agimus: alia iis eſt philoſophandi, & ſtatuendi ratio: ſatis cum iis fuit ſuo loco diſputatum: atque ex hoc etiam humanæ libertatis capite & veritate ſyſtema optimi falſum eſſe demonſtravimus.

903. Senſui noſtro hucuſque probato duplex philoſophorum claſſis opponitur, primo quidem optimiſtæ, qui ab optimo, hoc eſt, a meliori motivo voluntatem flecti, & moveri exiſtimant. Luculenter cum iis in ſuperioribus diſputavimus. Secundo ii ſunt, qui de optimiſmo parum ſoliciti, libertatem humanam in vi potius judicandi, quam in volendi facultate conſtituunt. Quæ pro ſeſe ii philoſophi adducunt, ad ſequentia capita reducuntur. 1. Si voluntas a mentis judi-

judicio, seu dictamine non movetur, sed ipsa sese post dictamen deliberat; sine ullo rationabili motivo, seu ratione sufficienti voluntas ageret. Prudens rationis judicium tibi dictet, in præsentibus rerum circumstantiis datum aliquod opus esse agendum; si contra hoc rationis dictamen agere potes; sine rationabili motivo ageres: quandoquidem igitur sine rationabili motivo agere non possumus, id unum superest dicendum, humanam voluntatem a rationis dictamine penitus flecti, & moveri. 2. Nihil humana voluntas eligit, aut sibi statuit, quin mentis judicium præcedat: unde illud est proloquium, *nihil volitum, quin præcognitum*: ecquo autem de capite hujusmodi agendi ratio descendit, nisi ut a cogitandi lumine volentis indifferentia tollatur? 3. Si contra rationis dictamen & judicium sese potest humana voluntas deliberare, atque agere; peccare quidem homines possemus, quin error in intellectu præcederet: a recto enim & vero dictamine deflectere possemus. 4. Experientia notum habemus, nihil a nostra voluntate agi, quamdiu rationis judicium definitum non est. 5. Humana voluntas semper agit secundum ultimum judicium practicum intellectus, illi numquam opponitur: stare id autem concipias, si post ejusmodi judicium liberam adhuc voluntatem dicas?

904. Respondetur: Primum argumentum contra optimistas late superius explicavimus. Secundum ibi dicta iterum respondeo, quidquid libera voluntas agat, etsi a judicio non moveatur, immo contra illi potius opponatur, sine motivo nunquam aget. Rem videre est & superius explicavimus in illa duplicis oppositi atque inæqualis boni hypothesi, in qua secundum optimistas humana voluntas ad optimum necessitate flectitur; secundum alios vero philosophos nobis oppositos a judicio melius dictante necessario etiam trahitur voluntas. Neutrum admittimus: neque a meliori bono ut motivo, neque a practico ejusdem boni judicio ad actum eliciendum necessario trahitur voluntas: primum omnem tollit humanam libertatem: secundus explicandi modus illam quidem in speciem videtur humanæ menti asserere, reapse tamen aut voluntati vindicat, aut penitus etiam destruit. Quale tamen voluntati esse potest ad minoris boni electionem motivum? ipsiusmet libertatis usus, & exercitium, ipsamet libertas. Ne

jam

jam dicta repetamus, lectorem ad superiorem de optimismo quæstionem remittimus. Id præterea semper oppono, undenam practico judicio præ theorico vindicabitur libertas? non quidem a pura objectorum perceptione, seu vi intelligendi, quæ utrique actui communis existit: uterque actionis honestatem mihi repræsentat. Ex alio capite, inquiunt, res est derivanda: secundum illud judicium, pergunt, actum non modo repræsentat bonum, sed eum præterea faciendum esse dictat. Quid tamen est illud *dictare?* e duobus unum est statuendum, aut actum elicere in præsentibus circumstantiis bonum esse intelligit, aut decernit: primum est purum intelligere, nulla in eo libertas, nisi theoricum judicium liberum esse statuas. Secundum vero proprium est voluntatis munus: velis igitur nolis, quomodocumque rem tentes, voluntati libertatem vindicabis: quod in judicio, seu dictamine apparet liberum, ad voluntatem spectat. Adeo verum est, omnem decernendi, atque statuendi actum & munus ad voluntatem spectare, ut probabile a quamplurimis teneatur, nullum in mente posse esse judicium, quin ad ejusmodi veritatis assensum aut dissensum seu mentis sententiæ prolationem, aut rejectionem non præcedat etiam aut comitetur voluntas.

905. *Ad Secundum* facillima etiam est responsio: *nihil volitum, quin præcognitum*, priusque esse intelligere, quam velle, rectissime statuitur: id tamen ex eo capite peti, ut indifferentem voluntatem vis intelligendi moveat; id sane est ex precario fine argumentum petere. Ad voluntatis actus aliquam rerum cognitionem in mente præcedere, voluntatis indoles est, atque humanorum actuum conditio, & ratio postulat. Ita rem esse, necessarii etiam voluntatis actus demonstrant: voluntas physica necessitate agens sine præcedenti cognitione non agit: non igitur ad tollendam indifferentiam, quæ in hoc casu nulla est, sed ex voluntatis, & humanarum actionum indole præcedens cognitio requiritur.

906. *Ad Tertium:* Ita quidem est, sæpe nos peccamus, quin error aliquis in intellectu præcedat, sed totus moralis error in voluntatem refundatur. Rem ab omnibus admittendam explicemus. Dupplicis oppositæ actionis (sumendæ vindictæ, aut condonandæ) meliorem quidem, injuriæ scilicet condonationem mente videam,

deam, atque judicem: interim tamen passionis fervore correptus ad arma convolo, vindictam sumo: peccavi a esne tamen aliquis in mente error? Errare, est a recta aliqua regula declinare: duplex autem regula, *veri*, & *boni*: prima rationis, seu rerum, secunda voluntatis seu actionum. Regula veri est, objectum, ut reapse existit, judicare: regula voluntatis, actionum, seu boni moralis est, secundum prudens dictamen agere. Ab utraque illa regula deflectere possumus: duplex igitur distinguitur etiam error, logicus, seu philosophicus, & moralis. Mens humana in casu verum dictamen agnoverat, & sibi statuerat; ab eo tamen prudenti, & vero deflexerat: ab regula igitur voluntate recessit: a regula morum, seu boni, non ab illa veri deflexit: quotiescumque igitur peccamus, in morum regulam committimus, voluntatis errorem amplectimur, quin tamen in mente etiam errorem semper præcedere oporteat. Quin immo secundum obvium & naturalem *Pauli* sensum, *video meliora proboque*, *deteriora sequor*, nostra hominum peccata moralem tantum errorem sæpe continent. Plures alias harum duarum regularum, atque errorum combinationes in Ethica videas, ubi morum principia, atque regulæ statuuntur. Hoc loco illa tantum ex alibi demonstrandis attingimus, quæ ad qualecumque id argumentum solvendum opus erant.

907. *Quartum* argumentum experientiæ innixum propositioni non opponitur. Priusquam voluntate agamus, rem agendam cognoscimus, bonam aut malam esse mente discernimus & statuimus; hæc tamen mentis sententia voluntatem ad agendum non movet: quin illud in mente præcedat judicium, agere & sese deliberare nequit voluntas: eam tamen ejusmodi judicio flecti, & moveri, perperam inde concludes: duo scilicet illa sunt latissimo discrimine diversa, judicium præcedere, judicium flectere. Contra prudentem mentis de meliori bono sententiam in oppositam partem sese flectit voluntas. Rei veritatem, velis, nolis, tuomet calculo confirmabis, & triste experiementum mortales edocemur. Perperam igitur ad experientiæ tribunal provocamur: aptum id non est ad præsentem litem dirimendam judicium: si quid tamen ab illo derivari potest argumenti, nostram potius, quam oppositam sententiam confirmat.

908. *Quintum* : Quod quinto tandem loco opponitur, ambiguitate laborat: quid scilicet illud est, quod *ultimum* judicium practicum intellectus dicitur? Vel esse *ultimum* pendet a voluntate secundum illud sese pro libito deliberante; vel solius mentis est, quod ejusmodi judicium sit ultimum, & voluntatem secum deferat. In primo sensu non ultimum judicium voluntatem, sed voluntas potius judicium ultimum statuit. Si secundum intelligas; argumentum est purum sophisma *petitio principii* nuncupatum. Uno verbo, humana voluntas se se deliberando facit, ut judicium, secundum quod sese deliberat, ultimum judicium nuncupetur, atque existat.

909. Atque hæc de humana voluntate, de vi hominum cogitante, de ideis, & notionibus rerum, de universalibus mundanarum rerum legibus, de mundo ipso intelligibili, de mundi hujusce aspectabilis, atque intelligibilis, & creatarum omnium rerum principio, caussa, legibus, regimine, providentia, duratione, auctore, ente scilicet necessario, rerum omnium principio & fine, ejusdem Numinis attributis, existentia, de philosophandi principio, atque de similibus aliis argumentis disputasse contenti, Metaphysicis lectionibus finem imponamus: ad utilissimam illam, quæ superest, humanæ philosophiæ partem ex hisce principiis deducendam, ad Ethicam, seu doctrinam morum gradum faciamus.

FINIS THEOLOGIÆ NATURALIS.

IN-

INDEX METAPHYSICÆ.

Præfatio ad Metaphysicam pag. III.
Definitio I. Generales Rerum notiones, & Axiomata Metaphysicæ propria 1
Hypothesis 2
Defin. II. Entis, Existentiæ, Entis Realis, Nibili 3
Defin. III. Possibilis, Futuri, pure Possibilis 5
Defin. IV. Impossibilis, Entis Rationis 8
Defin. V. Essentiæ Realis, Idealis, seu Notionalis, & intelligibilis 9
Defin. VI. Naturæ, rei naturalis, supernaturalis, seu miraculi, & rei præter naturam 11
Defin. VII. Entis necessarii, Necessitatis Metaphysicæ, Physicæ, Moralis, Entis Contingentis 13
Defin. VIII. Substantiæ. Accidentis, Modi 15
Defin. IX. Corporis, seu Materiæ, Spiritus, Substantiæ Immaterialis, Attributi 17
Defin. X. Principii, Caussæ, Effectus, Actionis 19
Defin. XI. Rationis sufficientis 21
Generalium Notionum, seu idearum ordo, & divisio. 23

PARS PRIMA.

LECTIO I.

De primo philosophandi principio &c. 25
§. I. *Primum humanæ menti philosophandi principium, sui ipsius, & suarum cogitationum conscientia, atque certitudo* ibid.
Propositio I. Propria uniuscujusque cogitantis existentia, & existendi, cogitandique conscientia recte in Metaphysica statuitur primum philosophandi principium. 27
Corollarium. 31
Propos. II. Corpora etiam, materialemque mundum existere, aut certum per se est, & principiorum numero secundo loco ponendum; aut evidenti demonstratione conficitur. 32

§. II. *Generalia aliqua ad philosophandum axiomata a philosophandi principio, & veritatis criterio deducta.* pag. 38
§. III. *Notio, atque Demonstrationes Existentiæ Entis necessarii, seu Prima rerum omnium Caussa.* 43
Definitio. ibid.
Annotatio Historica. 44
Propos. III. *Veritas Existentiæ Dei demonstrationibus Metaphysica, Physica, & morali conficitur.* 49
Scholion. 53
§. IV. *Demonstrationes Physicæ, & morales Entis necessarii.* 54
Propos. IV. *Certitudo de Entis necessarii, seu Primæ caussæ existentia est maxima post certitudinem, quam de nostramet existentia habemus, a qua illa consequitur.* 72
Definitio. 73
Propos. V. *Ens necessarium a nobis demonstratum necessario est Ens æternum.* ibid.
Propos. VI. *Ens illud necessarium, & æternum est summe independens, atque Ens a se.* 74
Propos. VII. *Ens necessarium est ratio sufficiens; & prima caussa omnium contingentium.* 76
Definitiones. ibid.
Propos. VIII. *Est etiam ens necessarium infinitæ perfectum in omni puræ perfectionis ordine.* 78
Corollaria. 79
Propos. IX. *Ens necessarium est per naturam suam immutabile.* 82
Propos. X. *Ens necessarium non potest esse nisi unicum: ac proinde unitas Dei ratione etiam naturali demonstratur.* 86
Propos. XI. *Ens necessarium est substantia simplicissima omnis physicæ compositionis expers.* 92
Corollaria. 93
Propos. XII. *Ens a se, seu demonstratum hactenus Numen necessario est ens intelligens, seu substantia cogitans.* 95
Propos. XIII. *Ens necessarium nequit esse materia; sed necessario est spiritus ab omni materia distinctum.* 100
Propos. XIV. *Ens cogitans non potest esse materia, seu materia non potest cogitare, neque cogitatio esse potest particularum materiæ motus.* 103

Di-

Discussio Metaphysica. Pantheismi; atque Materialismi: in qua etiam de materiæ, atque Mundi origine, initio, æternitate contra Spinosam, Epicurum, eorumque sectatores, cæterosque tum veteres, tum recentiores Pantheistas, atque Materialistas. 111

§. I. *Pantheismus. Annotatio Historica.* ibid.

Propos. XV. *Pantheismus est evidenter falsus, atque impossibilis, nulloque argumento ab ejus assertoribus probatur.* 115

§. *De antiquo, & recentiori Materialismo, seu Materialistarum systemate.* 129

Propos. XVI. *Materialismus; seu quidquid rerum existit, esse puram materiam, naturali rationi, communique hominum sensui apertissime opponitur, falsum, & impossibile demonstratur.* 135

§. *Materialistarum argumenta, seu sophismata.* 147

§. *Origo mundi, atque celeberrimum illud antiquorum effatum,* ex nihilo nihil fit, *aliud materialistarum argumentum exponitur, & examinatur.* 158

Corollaria. *Corollarium I. Quoniam igitur falsum est antiquum illud principium in sensu materialistarum acceptum, cui uni totus materialismus, atque pantheismus innititur; omnia iterum cadunt eorumdem philosophorum dogmata. Nominatim vero mundi adspectabilis, atque universitatis rerum origo neque est Epicurea, neque Pantheistica.* 163

Coroll. II. *Caussa efficiens hujus adspectabilis mundi est caussa intelligens, unicum scilicet illud ens necessarium, a se, infinitum, & æternum, quod infinite intelligens esse demonstravimus.* 164

Coroll. III. *Universæ etiam materiæ, ex qua adspectabilis hic mundus constituitur, & componitur, auctor est Deus, ens illud unicum necessarium & a se, hucusque demonstratum.* 165

Coroll. IV. *Rejecto illo principio,* ex nihilo nihil fit, *nulla amplius ratio materialistis suppetit, ut mundum aut materiam dicant æternam.* ibid.

Coroll. V. *Quod mundum aspectabilem attinet, non modo non est æternus, sed ne sex quidem annorum millia adhuc attingit.* 167

Quæstio incidens. 168

Quæstio alia incidens. 174

Prop. XVII. *Quandoquidem adspectabilis mundus ab infiniti Consilii, atque Sapientiæ Numine conditus de-*

demonstratur ; sapientissimus idem artifex , atque architectus mirabilem hanc universi machinam secundum aliquas leges condidit , quibus poneretur , & constanter regeretur . 178

Prop. XVIII. *Integra hæc rerum universitas , singulaque mundana entia ab auctore* Uno , Vero , Bono , *creata , & constantibus legibus ordinata , atque constituta , sunt omnia etiam Una , Vera , Bona .* 181

§. *Materialistarum pro mundi æternitate probanda argumenta .* 186

§. *Optimismi , seu Meliorismi systema , atque Rationis sufficientis Principium . Adnotatio Critico - Historica .* 195

Propos. XIX. *Systema Optimi est plane falsum , naturali rationi , atque religioni omnino oppositum .* 199

Propos. XX. *Principium illud rationis sufficientis in sensu Optimistarum acceptum est falsum .* 208

§. *Tria alia Entis necessarii attributa , scientia nimirum , omnipotentia , immensitas : ubi etiam notio & Theoria Caussarum , quid Deus , quid Creaturæ efficere possint , statuitur .* 219

Propos. XXI. *Ens necessarium præter attributa alia hucusque demonstrata , necessario habet perfectissimam , atque infinitam scientiam omnium rerum præsentium , præteritarum , possibilium .* 220

Propos. XXII. *Est etiam Deus Omnipotens ad omnia illa efficiendum , quæ contradictionem , aut moralem imperfectionem secum non deferunt .* 225

§. *Caussarum genera , notiones , regulæ & Theoria explicantur .* 229

§. *Theoria Caussarum .* 236

Regula Prima . *Caussa quæcumque effectum agere non potest , quin existat : estque proinde existentia ad caussæ actionem , & exercitium necessaria .* ibid.

Reg. II. *Inter caussam proprie dictam , & effectum distinctio necessario intercedit : nihil proinde sui ipsius potest esse caussa .* 237

Reg. III. *Caussa vera & proprie dicta prior est effectu .* 238

Reg. IV. *Caussa effectum se ipsa perfectiorem efficere non potest ; maxime tamen imperfectiorem .* 240

Reg. V. *Effectus perfectior , seu major perfectiorem etiam seu majorem caussam requirit , si cætera sint paria ,*

paria, atque ex una effectus perfectione caussæ perfectio deducatur. ibid.
Reg. VI. *Effectus sine caussis sufficientibus esse non possunt; possunt tamen caussæ sine effectibus existere.* 241
§. *Ulterior Caussarum Theoria.* ibid.
Propos. XXIII. *Omnipotenti Deo seu omnipotentiæ divinæ repugnat esse materialem, seu formalem rei alicujus caussam, earumque caussarum munera per se ipsum agere non potest ens necessarium.* 242
Propos. XXIV. *Omnipotentis Dei est, esse caussam primam, & universalem omnium creaturarum.* ibid.
Propos. XXV. *Utriusque caussæ physicæ efficientis, creatricis atque productricis munus, seu creare & producere omnipotenti caussæ necessario conveniunt.* ibid.
Propos. XXVI. *Creare ita Divinæ Omnipotentiæ convenit, ut illius tantummodo munus esse possit: est dicere, res quascumque possibiles creare potest Deus: creatio vero uni Deo convenit.* 243
Propos. XXVII. *Est tandem Deus caussa finalis omnium rerum, quæ a caussis vel necessariis, vel liberis recte operantibus fiunt.* 244
Propos. XXVIII. *Si creationem excipias, cætera omnia caussarum munera moralis, finalis, materialis, formalis, efficientis, instrumentalis agere possunt, & reapse agunt creaturæ.* 246
§. *Possibilitas rerum.* ibid.
§. *De Immensitate Dei, & primo quidem de spatio, & loco rerum.* 250
§. *De Spatio, & Loco. Adnotatio Historica.* ibid.
Corollarium. 252
Propos. XXIX. *Non existit spatium aliquod negativum, seu spatiosum nibil: perperamque in hujusmodi spatio negativo ubique diffuso corporum locus constituitur.* 253
Propos. XXX. *Spatium, quod sit physicum aliquid a Deo distinctum, repugnare videtur: ac proinde per hujusmodi spatium non recte explicatur corporum locus.* 254
Propos. XXXI. *Ens Necessarium est etiam Immensum, & Omnipræsens: immensitate tamen, in qua nullæ sunt partes: atque simplicissima hæc Dei Immensitas*

illud unum est, quod nomine spatii absoluti intelligimus, & admittimus. 256

§. *Libertas entis necessarii, ubi de antiquorum fato, & reliquorum Recentiorum erroribus agitur. Adnotatio historica.* 268

§. *Propos. XXXII. Inter Entis necessarii attributa necessario existit perfectissima libertas, ab omni necessitate, & coactione immunis.* 270

§. *De voluntate Dei erga homines, Bonitate scilicet, Providentia, Justitia, & Beneficentia Numinis æterni erga mortales. Adnotatio Historica.* 276

Propos. XXXIII. Est etiam Deus summe, atque infinite Bonus, Justus, Sanctus, immo eadem summa atque æterna Bonitas, Justitia, Sanctitas. 278

Propos. XXXIV. Est in Deo de rebus humanis, atque de tota rerum universitate Providentia, qua secundum æternum Divinæ sapientiæ, & voluntatis consilium creaturis universis providet, omniaque in præstitutum sibi finem dirigit. ibid.

§§. *Manichaismus, seu duo principia, bonum & malum. Adnotatio Historica.* 289

Propos. XXXV. Nullum est principium æternum malum, quod nostrarum miseriarum, atque malorum sit caussa; neque aliam illa originem habent, nisi humanæ libertatis abusum. 292

Solvuntur Manichæorum argumenta pro duplici principio Bono, & Malo contra Providentiam, & unitatem Dei statuendo. 297

PARS SECUNDA.

De Mente Humana.

LECTIO PRIMA.

Existentia mentis humanæ, ejus natura, origo, creatio, distinctio a corpore, & omnibus qualitatibus, seu modificationibus corporeis. 313

Definitio. 314

Adnotatio Historica. 315

Propositio I. Est in hominibus res cogitans, quam mentem, seu animam humanam nuncupamus. 319

Pro-

Propof. II. *Anima humana est substantia spiritualis ab omni materia, seu corpore distincta.* 320
Propof. III. *Mens humana est etiam ab omni quocumque materiæ, seu corporis cujuscumque modo distincta.* 327
Propof. IV. *Mens humana est etiam a Dei substantia prorsus distincta.* 328
Propof. V. *Anima humana est peculiaris quædam substantia spiritualis creata, atque in se existens.* 329
Corollaria. 330
Propof. VI. *Neque mens humana est aliqua Mundanæ animæ pars: neque hujusmodi humana anima secundum sanam philosophiam admitti potest.* 331
Propof. VII. *Neque etiam secundum veram sanamque philosophiam dici potest, humanam mentem alicui corpori esse semper unitam.* 334
Propof. VIII. *Anima humana neque unica est in omnibus aut diversis hominibus, neque in eodem multiplex existit.* 337
Propof. IX. *Humanæ animæ non fiunt ex propagine a parentibus in filios non transmittuntur.* 339
Propof. X. *Animæ humanæ in singulis quibuscumque nascentibus hominibus a Deo creantur; neque ante corporum formationem existunt.* 342
Propof. XI. *Animæ humanæ sunt, non modo attentis caussarum naturalium viribus, sed etiam indole propria, atque speciali Supremi Numinis voluntate immortales.* 346
Corollarium. 361
Propof. XII. *Humanam mentem esse puram cogitationem, aut semper cogitare, non constat.* 363

LECTIO II.

De Statu Animæ in Corpore, unione inter corpus, & animam: atque unionis consequentiis. 366
§. I. *Annotatio historica circa Philosophorum opiniones.* ibid.
Propof. XIII. *Harmoniæ præstabilitæ systema communi hominum sensui opponitur; nullo valido argumento probatur, gravissimis rationibus falsum demonstratur.* 371
Propof. XIV. *Systema etiam caussarum occasionalium ne-*

quæ est philosopho dignum, neque verum. 394

Propos. XV. *Humanam animam in nostrum corpus agere, & vicissim a corpore ipso affici, plurima ab illo pati, veramque proinde existere inter corpus, & animam physicam actionem mutuam ratione, conscientia, experimentis constat: modus tamen, quo mutuum hoc exercetur commercium, nos penitus latet.* 410

Propos. XVI. *Anima humana cogitans ita est in corpore, ut illi sit unita, ejusque sit actio, est energia in ratione compositi viventis, sentientis, atque cogitantis.* 416

Quæstio incidens. 423

LECTIO III.

De prima Animæ rationalis facultate, virtute nimirum intelligendi, idearum origine, natura &c.

§. I. *Animæ actus ad intelligentiam spectantes enumerantur.* 424

Adnotatio Historica. 426

Propos. XVII. *Ideæ rerum, & generatim omnes actus nostræ mentis sunt aliquid ab ipsa mente distinctum.* 430

Propos. XVIII. *Omnes ideæ rerum sunt veræ perceptiones, seu actus animæ existunt, quibus mens objecta cognoscit: suntque proinde ideæ veri actus animæ, atque ab illius perceptionibus, seu cognitionibus non distinguuntur.* 437

Corollarium. 446

Propos. XIX. *Anima humana objecta in Deo non videt, falsumque existimamus expositum superius Malebranchii systema.* ibid.

Propos. XX. *Maxima nostrarum idearum pars per sensus comparatur: omnes tamen humanæ mentis ideas per sensus haberi, ita ut nihil sit in intellectu, quod prius non fuerit in sensu, falsum existimo.* 452

Propos. XXI. *Ideæ innatæ in proprio, & rigoroso hujus nominis sensu acceptæ, prout scilicet formas aliquas significant, quæ sint objectorum imagines ab animæ acti-*

actibus distinctæ, aliquid animæ a Deo impressum, & veluti insculptum, reapse non existunt in anima. 464

Propos. XXII. Ideæ rerum in anima, quibus objecta repræsentantur, sunt intellectuales illæ, & spirituales radiationes mentis, quasi luminis, interna sua energia se se spirituali modo expandentis, & illuminantis. 467

LECTIO IV.

Humana voluntas, proprietas animæ altera.

§. I. *Actus humanæ voluntatis recensentur, atque definiuntur.* 477

Definitio. Voluntas est vis illa humanarum animarum, qua objectum amore, aut aversione prosequimur: in illud ferimur, ab illo avertimur. ibid.

Definitio altera. 478

Definitio. 479

Definitio. 480

Definitio I. & II. 481

Definitio. 482

Definitio. 483

Adnotatio Historica. Circa philosophorum in re præsenti sententias. 484

§. III. *Humanæ appetendi, volendique facultatis, ejusque actuum analysis, indoles, ordo statuitur, & physice adumbratur.* 489

Propos. XXIII. Triplex illud bonum superius recensitum, honestum, utile, delectabile, proprium est appetentis, atque volentis animæ objectum: nonnisi tamen sensu, aut cogitatione perceptum agere in animam potest. 497

Corollarium. 498

Propos. XXIV. Bonum, & malum ita sunt humanarum omnium appetitionum atque voluntatis, objectum, ut neque bonum in ratione boni aversari, neque malum in ratione mali amare, aut prosequi humana voluntas possit. 501

Propos. XXV. Mens humana, seu homines sunt caussæ liberæ libertate illa indifferentiæ superius definita. 506

§. Fa-

§. *Fatalistarum argumenta.* 524
§. *Fatalistarum alia argumenta.* 540
§. *Ratio, modus, & caussa, quæ voluntatem ad agendum statuit.* 545
Propos. XXVI. Ultima ratio, & caussa physica deliberationis voluntatis, est activa ipsius voluntatis virtus, & illud mentis lumen, quo objectum repræsentat: est dicere; motivum seu objecti bonitas non est quod ultimo deliberat voluntatem, sed ipsam & voluntas est quæ se ex motivo deliberat. 546

E R-

ERROR			CORRECTIO.
Pag.	*lin.*		
VIII	9	ceteri	ceteris
IX	42	leibafnits	leibnits
3	28	accipiendum	incipiendum
28	9	ab alia	ad alia
20	27	, afficit & ita	, & afficit: ita
48	12	tanti momenti	*adde*, fententia
56	36	tahellam	tabellam
60	12	Antheiftæ	Atheiftæ
63	32	Fomafus	Famofus
	38	mifericordiæ: eam tunc	mifericordiæ jam tunc
69	37	cæterorum	cæterum
135	27	poffim	poffunt
138	20	Rottifeau	Rouffeau
150	27	etenfæ	extenfæ
161	23	demonftretur	demonftratur
182	43	conformæ	conforme
186	19	partem	parem
196	14	Platonicis	Platonis
216	5	illum	illud
219	41	arbitria	arbitraria
224	37	ponatur	ponantur
239	34	fua exiftentia	fuæ exiftentiæ
256	40	nomina	nomine
262	7	numero	numero 406 &c.
267	27	de tota hæc	de tota hac
275	4	com lectitur	complectitur
276	20	moali	morali
277	11	dogmaticos	dogmaticus
287	12	crifus	rifus
288	44	impugnat	impugnant
300	5	cieatas	creatas
	12	honem	hominem
	17	colluviens	colluvies
303	13	unito	unita
315	11	noftrarum	noftrum
317	37	univerfalia	univerfalis
320	40	difiincta	diftincta
323	3	aut	*deleatur*
326	25	cupimus	capimus
331	41	arbitror.	arbitror,

Pag.	lin.		
335	28	ad experimento	ab experimento
340	19	deucendis	deducendis
341	29	progatam	prognatam
352	11	priora	propria
362	7	eo femper	eos femper
364	10	äurem	autem
370	29	obfcuriffima	obfcuriffimum
379	42	tractarus	tracturus
402	19	habeant	habeat
413	26	quin ullo	quin ulla
414	32	inter nos	intra nos
416	16	*eft energia*	*& energia*
	45	fenfum indole	fenfuum indole
419	21	mutare referatur	munera referantur
425	20	*agons*	*agens*
429	27	principum	principium
	33	fe ufum	*dele* fe
450	21	effet	effe
451	38	ferri	referri
453	26	utrifque	utriufque
456	24	ibi	cibi
459	35	re	te
465	33	partes	partas
488	43	extendi	extenditur
492	42	Jam	Tam
494	39	vi	ut
512	9	fi ergo fint	fi ergo non fint
515	32	rodit	redit
524	20	gratiam	gratam
531	43	feperamur	fuperamur
535	29	32 quei tamen	quî tamen
536	37	dedit	decidit

F I N I S.